
MONTUS
1557







1557 A.D.

[152] MONTUS (Hi
Activa Medcinae Scientia C
salubritate on modo tuendae
multos anns vitae rationem

Altervero universales,
canones exlanat.

Titl within a fine woo
Smd 8vo. *Original ve*
Lyos, Jean de Tournes

With very interesting accoun
health, togher with six pages on wi
wines and hich wines are to be avoi

LYCOSTHENES (C

sirens, Janus', he
throughout the tex

The author,
born in Alsace in 1
give lessons in gram
He edited an editic
Julius Obsequens, w
appeared at Basel, i
"*Prodigiorum et os*
270 authorities from
certain books of the
writers, and comes
request to his reader
know ("*si modo cert*
not a systematic disc
from the fantastic a

1557 A.D.


DOMINE ✠ BEATUS HOMO QUEM TU ERUDIERIS
A·L·S





BENEDICT PHOTO RUE DE NAVARIN 16

DE ACTIVA MEDICINAE SCIENTIA COMMENTARII DVO.

Quorum primus de salubritate non modò tuendæ sanitatis, uerumetiam producendæ ad multos annos uitæ rationem modumq; docet.

Alter uerò uniuersales, qui ad morborũ curationes pertinent, canones explanat.

Autore D. Hieronymo Montuo art. & Med. Doct. Mirebelli Domino. Christianiss. Galliarum Regis Consiliario & Medico.

LVGDVNI
APVD IOAN. TORNAESIVM,
ET GVL. GAZEIVM.

M. D. LVII.

Cum Priuilegio Regis.

AD LECTOREM

Gulielmus Christianus Aurelianus, Medicus Reginæus.

*

Vis medica, lector, methodo seruare salutem
Corporis, & mentem rectificare simul?
Vis'ne procul morbis longam traducere vitam,
Clarius vt quasuis res meditere bonas?
Vis prodesse tibi? reliquos vis arte iuuare?
Ne'ue quis ægrotet, vel malè sanus eat?
Temperies partis, qua vis, vel & actio constant,
Vis bene firmetur? forma nec ipsa cadat?
Aëra vis'ne, cibum, potum, motumq́ue, quietem
Instituisse probè, quo vigilesq́ue modo?
Quæ retinere tibi, vel quæ vacuare necesse est,
Vis nosse? affectus vis moderare animi?
Deniq́ue vis hominem, vita in quacunq́ue sit ille,
Robore præualido munus obire suum?
Huc ades: intentus quæ sunt hoc scripta libello
Fac menti infigas, præmia finis habet.

Montuus ille grauis longo & doctißimus vsu,
Arteq́ præcellens, hoc tibi struxit opus.
Struxit opus Delpho, dices, vel Apolline dignū,
Οὗ περὶ τῆς ὑγιείας οὐχ ὑγιεινότερον.
Hîc non defuerint magni monumenta Galeni,
Non Arabū, Coi scripta nec Hippocratis.
Artis & hæc medicæ prima, ac dignißima pars est.
Sicq́ inhibet morbos vt Therapeía necat.
Hic tibi thesaurus, cunctisq́ reconditur ingens.
Hoc fruere, ô lector, diues vt esse queas.

ELENCHVS BREVIS eorum, quæ capitibus singulis toto continentur volumine.

R. Cardinali & Procan-
CELLARIO DOMINO
IOANNI BER-
TRANDO,

*

Hieronymus Montuus
S. P.

PLATONIS ſapientiſſimi philoſophi in Carmide ſententia eſt, ampliſſ. Pręſul, tantam eſſe corporis & animæ neceſſitudinem, vt ſua bona ac mala omnia, velint nolint, inuicem communicent. Propterea neq; ſine animo corpus, neque ſine corpore animus bene valet in vita. Quod euidentiſſimũ in his apparet, qui phre-

 nitid

nitide, mania, aut lethargo, comate, ſeu cataphora, caroſi, catocho'ue, aut catalepſi conflictantur. In his enim corporis præter naturam affectib. animus ipſe etiam ægrotat.

Etſi verò magna ſanitatis latitudo ſit, illa tamen ſola eucratos duntaxat cenſenda eſt, atque optima, ſeptembribus etiam horis (vt inquit Horatius) quæ ex corporis & animi incolumitate prouenit. Hanc nimirum valetudinem ſummum eſſe bonum innuere videtur ille poëtæ verſiculus, Orandum eſt vt ſit mens ſana in corpore ſano. nam, vt inquit Epicharmus, Mens videt atque audit, ſunt cætera ſurdaq; cæcaq;. Vnde valetudo recta, atque mens, tantum duo optima in vita ſunt. Quod & aſſerit hoc carmine Menander, ὑγιεία καὶ νοῦς ἐσθλὰ

τῶ

τῷ βίῳ δύο. Hebræorumq; sapientissimus, Non est, inquit, cẽsus supra censum salutis corporis. Idem sentit etiam modò citatus Menander, οὐκ ἔστι ὑγείας κρεῖττον οὐδ' ἐνὶ βίῳ. id est, Non est valetudine præstantius aliquod in vita. Huic sententiæ etiam suffragari videtur Pythagoras philosophus incomparabilis, quem Socrati præfert Plinius, & vt diuinum suspicit & admiratur Plato. Hic etenim non alia in suis epistolis est vsus consalutatione, quàm vt iuberet ὑγιαίνειν, hoc est, bene valere. Id quoq; institutum Pythagorici mox seruarunt, veluti animæ corporiq; nihil amplius congrueret: hoc'que vno hominis bona vniuersa compræhenderentur. Quin & symbolum, quo inter compares vterentur, dicebatur ὑγεία, id est, sanitas. Huc

etiam accedere videtur Pyrrhi Epirotarũ Regis prudentiſſimi votum. Is enim vbi immolaturus templa inuiſeret, non regni ampliorem modum, non de hoſte victoriam, neque item gloriam illuſtriorem, aut diuitias, & id genus alia, quibus mortalium plerique attoniti inhiant, vt Cælius loquitur, ſed ſanitatem modò à Dijs deprecari ſolitum: ceu parte hac bene conſtituta, proſperius ceſſura viderentur omnia. Nam ſi toto ſinu vt idem ait Cælius, ſeſe affundant fortunæ afflatus, abſit autem incolumitas, nullum illinc profluit emolumẽtum quod iuuet. Rectè igitur poſt Moralem philoſophum conſuluit Planudes, ἔστω σοὶ μενεδώνων πρώτη φροντὶς ὑγείας. Haud enim eſt viuere, niſi valere vita. Ade quòd nimia corporis debilitas

vires animæ frangit, mentis quoque ingenium marceſcere facit, vt D. refert Hieronymus. Idcirco conſequendæ ſapientiæ gratia, corporis ſanitas magnopere quęrenda eſt. Hac nanq; ſublata, ſublimes Muſarũ fores aut non tanguntur à nobis vnquam, aut certè fruſtra pulſantur, veluti latè illuſtris prodit Ficinus. Quippe ſicuti ægritudo naturales actiones functionesq́; oblædit, perpediatq́; : ita ex ſalubritate (quæ iſonomia continetur) incolumes illæ proueniunt. In ſimilaribus quidem partibus ex contemperãtia calidi & frigidi, ſicci & humidi. In membris verò officialibus ſiue inſtrumentarijs, ex cuſtodia conformationis & quantitatis decentis, numeri atque ſtructionis. Itaque admonendi ſunt incolumes, vt hanc corporis ſalutem

exerc


exerceant ad ſalutem mentis, quod eſt multo ſaluberrimum D. Gregorij *conſilium.*

Verùm quia ſanitas ex varijs cauſis lædi ſolet, eius tutelæ prouiſum eſt rationibus multis, hiſq; ſalubribus à venerabili Medicinæ ſcientia petitis. Ex quibus poteſt non modò vita ſana hominibus liberis, ſed etiã vita longiſſima (qua digniſſimus es) contingere. Quamobrem viſum eſt hunc de ſalubribus commentarium, quem iam dudum ad vmbilicum perduxi, magnificentię tuæ dicare, vt tali munuſculo meum in te amorem teſtatiſſimum facerem, quem ob egregias animi tui virtutes maximum conceperam, tu ſane bene meritus omnibus videris de tota Gallia, cuius fides publica apud te vnum conſeruatur. Itaque ea eſt nominis

tui

tui fama, vt præſtantia morum, exi-
mioq́; doctrinæ cultu, præcellere te
omnes prædicent. Nec id abſq; ra-
tione, qui eas omnes artes in te per-
lucere videant, quæ ad æquitatem
& ad iuſtitiam perficiendã ſunt ne-
ceſſariæ, humanitatem ſingularem,
morum integritatem, eximiam do-
ctrinam, & præcellentẽ facundiam.
Esq́;, quod eſſe debes, ipſum videli-
cet animatum ius: iuxta illam cele-
bratam Ariſtotelis philoſophi mul-
to doctiſſimi ſententiam. ὁ γὰρ δι-
καςὴς βȣ́λεται εἶναι οἷον ἔμψυχον δί-
καιον. Et quamuis omni laudis ge-
nere cumulatiſſimus ſis, attamen de
tuis ſanctis actis, quæ vel ſtachane
æquiora ſunt, te elogia non affecta-
re probè ſcio, ſed Dei Opt. Max.
gloriam tibi ſolam expeti. Quod
hominis planè Chriſtiani teſtimo-
nium

nium eſt certiſſimum. Vale. Auguſtiſſime Card. teq́; nobis Soter diutiſſime ſeruet. Ex caſtro noſtro Mirebelli, Idibus Maij, 1557.


Ἐκ τοῦ πόνου παυλη.

DE ACTIVA MEDICINÆ SCIENTIA COMMENTARIVS PRIMVS.

*

Autore D. Hier. Montuo & art. & Medicinæ Doctore.

De actiua Medicinæ ſcientia, cuius geminæ ſpecies. Deq; conſeruatricis differentijs, vtilitate, & cauſis conſeruantib. CAP. I.

ACTIVÆ Medicinæ ſcientia, qua parte magna vitia corrigere docet, Curatrix nominatur: Qua verò exiguas noxas tollit, ideo præ exiguitate num etiam corrigat, ſenſum ſubterfugiens eſt, Conſeruatrix dicitur. Diſtribuiturq; ex Galeni ſentẽtia lib. ad Traſyb. in Euecticen, Salubrem, Analepticen, & Prophylacticen. Euectice, id eſt, boni habitus ſeruatrix, exactè perfectéq; valentem in hoc ipſum gradu conſeruat.

uat. Analeptice, hoc eſt, refectrix, inſtauratrixq́; eos qui iam morbos euaſerunt, reficit, ac inſtaurat. Salubris verò inter vtranq; collocatur. Vnde magis parua caſtigat Euectice: minus verò Salubris, hac adhuc minus Analeptice. Salubris itaque quum non ſit de corporibus ſecundùm habitudinem valentibus, vt Analepticum, neq; de bono habitu præditis, ſicut Euecticum, ſed de his, quæ in habitu firma ſunt, non integram ſummamq́; ſanitatem, ſed eam quæ ab hac deficit, ac diſcedit tueri monſtrat. Atq; ſub hac Pędotrophice Gerocomiceq́; continetur. Prophylactice morbum præcauet, & neutris caducis conducit, ſicq́; Analepticæ oppoſita eſt. Iſtis conſociant Coſmeticen, quæ naturalem pulchritudinem cuſtodit: ac Commoticem, quæ acquiſititiam inducit. Quarum prior ars proba, verumq́; bonum: poſterior verò improba ars, & apparens bonum comparat.

Porrò Conſeruatrix ſcientia neceſſaria eſt, quoniam corpus humanũ quòd ex elementorum mixtura, ſeu miſcella, compoſitum ſit, alteratur & corrumpitur, à cauſis cùm internis, tùm externis. Ab illis Mors

natur

naturalis, ab iſtis contrà violenta efficitur: teſtibus Ariſtotele lib. de mor. & vit. & Galeno lib. de tabe. Priores cauſæ nullo vitari pacto poſſunt, ſed tantùm impediri, ne præproperam ſenectutem adferant. Quo ex obſtaculo fit, vt ad mortem naturalem quis perueniat. Sunt autem illæ cauſæ tres numero, videlicet ſiccitas, quæ ætatis curſu ad interitũ perducit: & perennis corporis partium, hoc eſt, ſpirituum, humorũ, mollium, durarum, ſolidarumq́; diſſipatio, quam inſitus calor excitat, excremẽtorumq́; prouentus, vt Gal. demonſtrat. j. de t. ſ. Poſteriorum cauſarum quædam ſunt euitabiles, vti contondentia, diuellentia, vulnerantia, ac alia permulta de quibus nulla ars conſtitui poteſt: Aliæ ineuitabiliter, & ex neceſſitate corpus immutant, veluti aër, & quæ aſſumuntur cibus & potus, & quæ excernuntur ac retinentur excrementa: Motus & quies, ſomnus & vigilia, atq; animi affectus. Circa quas ſeruatrix ſcientia verſatur. Nempe ſi commodè miniſtrentur, hominem ſanum conſeruant, ſi verò incommodè, ex ſano ægrum reddunt. Eſt enim propalàm quòd error in victus ratione ſanis hominibus mor

bum accersire solet, ciereq́; ægrotantibus mortem. At commoda administratio, opportunus dexterq́; vsus intelligitur, in iusta harum causarum tum quantitate, tum qualitate corpori adhibita 3. art. p. Aëre, cibo, & potu quæ effluit è corpore substantia restituitur, atq; ita senectutē remoramur. Aëreæ enim ac igneæ substantiæ modum respiratu, arteriarumq́; pulsu tuemur. Cibo quicquid siccioris substātiæ effluxit, restituimus: Potione quicquid humidioris. Excrementa verò quæ necessariò ex aëre, cibo, & potu colliguntur, vacuamus motu & quiete, somno & vigilia, & cęteris occasionibus. Huc pertinent admouēda, educenda, facienda, & extrinsecùs incidentia, quorum meminit Galenus j. de t. s. Secundùm quas causas, aut causarū materias, Conseruatrix scientia in quatuor partes secatur, lib. ad Trasyb. Quarum vna de educendis excremētis tractat. Altera de faciendis exercitationum speciebus. Tertia de admouendis aëre, cibo, potu, & medicamento. Postrema de foris incidentibus aëre, lauacro, vnguentis.

Iam sanitatis tutela vna communis est, quæ communi sanorum naturæ conuenit. Et

Et altera propria, ſi quidem in ſanitatũ ſingulis propria eſt cauſa cõſeruatrix, vel aſſertione Galeni 3.ar.p.& com.in Polyb. Vtraq; ſubdiuiditur, quoniam ſanitas bijuga, optima, & ab hac deficiens j.de t.ſ. Optima ſeruanda eſt: Quæ ab hac plurimum diſcedit, corrigenda: Quæ verò in harũ medio conſtituta eſt, & ſeruari ſi lubet, & corrigi poteſt, 3.art.p. Seruabitur autem ſimilibus, iuxta illud axioma, Sanitatis conſeruatio per ſimilia fit. Similia hîc dicuntur quæ corpus in eodem, vel ſimili temperaturæ ſtatu ſeruant, ſiue ſimilem habeant qualitatem, ſiue diuerſam, vt tradit Bentius in gloſſa 3.art.p. & Angeſtus 2.de cauſis. ſed aliter 3.de alim. Galenus: Animalibus, inquit, naturalẽ temperiem inculpatam ſeruantibus, ſimilia ſuis naturis cibaria conueniunt. His verò quæ prauam intemperiem aut ab initio ſunt ſortita, aut pòſt acquiſiuerunt, non ſimilium ſibi ipſis eſus, ſed contrariorũ eſt vtilis. Rurſum ait j.alim. Si hominis corpus medij ſit temperamenti, per alimenta medij temperamenti eo in ſtatu ſeruabitur. Verùm ſi id frigidius vel calidius, ſiccius aut humidius fuerit, medij temperamenti cibum aut po-

tum perperam exhibueris: quippe id quatenus à media conſtitutione receſſit, eatenus in diuerſum ſtatum traducatur neceſſe eſt. Fiet autem id, per præſentis diſtemperantiæ cõtraria, quæ pari interuallo in vtraque oppoſitione à medio in vtranq; partem ſecedant. Ex quibus planè conſtat quòd inculpata tẽperies ſeruatur ſimilibus, quemadmodum ea, quæ ab hac plurimum deficit, æqualis exceſſus contrarijs corrigitur. Cauſæ nanq; inferiores totũ exceſſum non propellunt. Superiores oppoſitũ inuehunt, tantum quidem, quantum ipſæ exceſſum ſuperant. Par igitur exceſſus contrarius contrarium parem tollit. Eſt præterea intemperatura, quæ nec longè ab integra ſanitate declinat, neq; ad plurimum à mediocritate lapſam accedit, quæ contrarijs corrigi, & in meliorem mutari debet: in illis ſcilicet, qui leues functionum moleſtias non facilè tolerant: alioqui ſeruanda ſimilibus cauſis ſalubribus, quæ tantùm à temperatiſſimis diſtare debent, quantum intemperies hæc à tẽperatiſſima craſi deflectit. Calidiora nanque corpora calidiorem victus rationẽ efflagitant, 3. art. p. Eſt ergo temperata corporis

ris constitutio à temperatis causis, intemperata ab intemperatis seruanda, modò corporis & causarum immutantium exuperantia par sit: si enim causarum quàm corporis exuperantia maior esset, corpus læderetur. Itaq; in aëre temperato temperatę causæ ministrari debent, in intemperato verò tantùm in contrariam qualitatem sunt mutandæ, quantum erit aëris à iusto temperamento recessus, id quod vir in primis eruditus, & amicus noster Acakia, etiã non omisit, in suis quos in artem Galeni paruam edidit commentarijs.

De ambiente nos aëre, ventis, regionibus, ædibus, atq; indumentis. CAP. II.

AËR corpus & spiritus alterare magis potest, quã cibus & potus, super quo latè disseruit Conciliator differentia 114. Itaq; quũ aër materia existat vtilitatis respirandi, tanta eius quanta respirationis erit vtilitas, quæ hinc apparet non vulgaris, quoniam, vt inquit Galenus j. de caus. & vsu resp. innati caloris symmetriam & commoderationem conseruat, & animalis spiritus substantiam

nutrit. Adde quòd ne momentum quidem temporis respiratione deperdita sufficere potest animal.

Iam aër afficit vel solis qualitatibus, vel tota substantia: idq; contactu, maximeq; inspiratu, quum per os & nares, & transpiratu, quum per cutis poros ab arteriarum pulsu attrahitur. Bonus igitur aër causa salubris est. Vitiatus contrà omni ętati, omniq; temperaturæ nocet. Non tamen ex æquo, vt putat Paulus lib. j. nam expeditiùs ab aëris vitio qui sunt breuioris vitæ mouentur, & capiuntur, quàm reliqui omnes: si Aphrodiseo credimus. 2. Probl. 88. Est autem vitiosus in essentia crassus, suffocatus, nebulosus, halitu infectus. j. de t. s. Aër etiam iuxta paludes pessimus, quòd illic animalia minuta quædam nascuntur, quæ nec facilè videntur, per aëra intus in corpus & nares facilè perueniunt, difficilesq; pariunt morbos, vt prodit Varro. j. de re rustica. Rarenterq; accidit vt palustribus in locis aër innoxius sit. Quemadmodũ extat Rhauennæ, & ad Alexandriam Ægypti, vbi paludis vitiũ æstate propulsatur, propter amnis incrementum: quod & notauit Strabo 5. Geograph.

Aegineta notatur.

Si verò eadem contrariorum ſit diſciplina, vt dicit Ariſtoteles j.topic.liquet quòd pura aëris eſſentia eſt ſalubris, hoc eſt, quæ adeò tenuis eſt,vt promptè oriẽte Sole incaleſcat, eoq́; occidẽte ſtatim refrigeretur. Alioqui nuſquã purus aër, ſi vnumquodq; elementorum inuenitur nõ purum, & non ſimplex,vt cenſet Ariſtoteles 2.de g.& cor. A tenuitate etiã habet aër vt dureſcere præ frigore,ſiue congelari non poſsit,vt cenſuit Galenus 2. s. & Ariſtoteles 2. de g. animal. Tametſi Theophraſtus aërem immotum gelari ſcriptum reliquit. 5. de cauſ. plant.c. 16.Vitioſiſsimus in manifeſta qualitate aër, eſt calidus & humidus j.de temp,& de diff. feb. Quod ab euẽtibus demonſtrauit Hippocrates 2.epi. Vitioſus in occulta qualitate dicitur,quum per cœleſtem influentiam corrumpitur, tertia primi & prima quarti. Aër enim ſiderum peſtilenti defluuio vitiatur,teſte Aphrodiſeo 2.Probl.88. Sic defluuij quod à Luna procedit proprietas putredine cadauera aſſumit, vt exarat Plutarchus 3.ſympoſiac. Certè ſub Luna quàm ſub Sole magis computreſcere carnes compertum eſt. Ex quo Theophraſtus Lunæ

caliditas, inquit, putredinem auget, 4.de cauſ.plan.c.15.

Verùm de elemẽtari aëris qualitate ambigitur, num calidus ſit, vt eius ex aqua extenuata, ſolutaq́; generatio indicat. Quodq́; aſſerit cum Ariſtotele Galenus varijs vterque in locis. An frigidus ſit, vt Stoici affirmant. Nam & ſi terræ, aquæq́; collatus calidus & humidus ſit, nobis tamen ſi conferatur contrarius cenſetur, hoc eſt, frigidus & ſiccus. Eſt etiam vbi frigidum aërem ſuapte natura elementum eſſe, Galenus affirmat. Nempe lib. quòd animi mores corp. &c. Eſt enim frigidus comparatione ſpiritus innati 2. primi. Infrigidat corpora noſtra 2. de tẽp. Reſoluit in omnibus diſpoſitionibus 2. primi. Ergo ſiccus, quodlibet animal in ambientem aërẽ per cutem diſsipatur. j. de ca. ſymp. Inſuper nocte, hyeme, & ſub polo frigidus aër eſt, inibi enim conglaciatur. Media quoq; aëris regio, ſemper frigida. j. Meteor. Ex his colligit Maſſaria, quòd ſemper frigidus aër, niſi à reflexis ſolis radijs immutetur. Immutatur autẽ ex Solis motu quadrifariam, videlicet in Æſtatem calidam & ſiccam, Hyemẽ frigidam & humidam, Ver

temper

temperatum, Autumnum inæqualem.j.de temp.& 2.primi.

Sciendum autem quòd Sol calorē, quem in inferiora mittit, in ſe actu nō habet, haud enim elementatū eſt: calefacit nihilominus & per ſe, idq́; radiorum ſui luminis propinquitate, directione, & mora. Minus verò propinquitate, vt hyeme euidentiſsimū fit, in qua Sol in oppoſito ſuæ apſidis exiſtens, terræ proximior exiſtit. Itaque plus caloris moræ, quàm directioni tribuit Auicenna. Qui ſub æquatore, vbi Sol bis in anno ad perpendiculum radios iaculatur nō modò habitationē, verùm hanc etiam temperatam eſſe, diſputat prima primi. Æſtas ergo calida eſt ex reflexis Solis radijs qui directè in nos decidunt. Sicca verò quia ex caliditate nimia aëreæ ſubſtātiæ raritas efficitur. & conſequēter humiditatis reſolutio. Inde ſequitur ſiccitas, paucitasq́; roris atque pluuiæ. 2.primi. Hanc inſequitur Autumnus, ideoq́; ſiccus eſt, & rarus. Mutaturq́; facilè, cùm à diei calore, tum à noctis frigiditate: proinde inæqualis eſt, & ob id reliquis temporibus inſalubrior. Quomodo autem horum temporum viciſſitudo ad ſanitatis tutelam

telam necessaria sit. 2.collectionum explanat Auerrhois. Meliora itaq; tempora sunt, quę seruāt naturas proprias, vt loquitur Auicenna 2.primi. & prima quarti. E diuerso quæ à natura sua euariant, insaluberrima dicūtur, iuxta illud Hippocratis, Temporum mutationes pariūt morbos.3.Aphor.1. Item Cranonæ carbones viguerūt, sub Æstu valde pluit.2.epi. Quod de vere alioquin saluberrimo, etiā patescit. Ver enim insalubre existit, quando fici folia Cornicis pedibus similia fuerint. 6.epi.hoc est, initio, quod hyemi simile magis quàm Æstati habet. Hac verna intemperie Hannibalem altero captum oculo fuisse, Liuius memoriæ prodidit. Annus constans salubris, inconstans insalubris.3.Aph.9. Dies quoq; insalutaris, in quo modò æstus, modò frigus fit. ibidē 5. Est tamen quædam in die inæqualitas, quæ naturalis est, per quā dies toti anno respondet: Matutino enim tēpore ver simile, meridiei ęstas, vesperi autumnus, nocti hyems, vt post Aristotelem scripsit Galenus 6.epi. com.1. Est etiam sua in mensibus inæqualitas, nam decrescentes frigidiores & humidiores sunt, propter Lunæ decrementum: quemad

quemadmodũ enim Sol per totum annum hyemem atque æstatem facit, ita Luna per mensem id agit:non accessu,discessuq́; Lunæ, sed,vt ait Aristoteles 4.de g.animal.alterum increscẽte luce, alterum decrescente. Luna rursus quum quadriformi notetur habitu,dici & anno respõdere potest:siquidem,vt scribit Aphrodiseus 1.Probl.64.primò, quum æqua portione diuisa est humida & aliquantulum calida regit: secundò, plenior orbe calida & siccior est,tertiò,quũ senescit sicca & frigida redditur: quartò, quum luce omni exhausta silet,frigida, humidaq́; euadit,vtpote,expers radiorum Solis quos calidos esse nemini ambiguum est. Aër porrò qualitate varians non similiter vniuersos afficit: etenim si ad æstatem bene habent naturarum, ætatumq́; frigidæ ac humidæ: ad hyemẽ calidæ & siccæ. Si item calidæ & humidæ æstiuo hybernoq́; tempore mediocriter habent. Æstiuo quidem inquantum humidę,hyeme verò inquantum calidæ, vt asserit Galenus 3. Aphor.com.2. Constat quòd dissimilis Ætati & temperamento aër,semper salubris erit, vt vult Rasis 17.cont. Galenus quoq; j.de t.s. In quibus,

bus, inquit, aliqua exuberans qualitas domi natur, his vtilissimus aër est, qui ei qualitati maximè est aduersus. Sed temperatis corporibus aër temperatus est saluberrimus. Imò, vt scitè Paulus ait, omni ætati, omniq́; temperaturæ prodest: temperatæ quidem, quia similis: dyscratæ verò quia contrarius, licet non optimus, vt ex Rase loco pręcitato colligitur. Multa itaque sunt quæ aëris salubritatem declarant, vt sunt loca ab infimis vallibus libera, & nebularum noctibus absoluta, vt inquit Palladius j. de re rustic. Et habitatorum considerata corpuscula, si eis color sanus, capitis firma synceritas, inoffensum lumen oculorum, purus auditus, fauces commeatum liquidæ vocis exercent. His autem contraria noxium cœli illius spiritum confitentur: verùm ab aëre, externisq́; caussis faciliùs tentantur hi, quibus rara, mollisq́; cutis est, j. de t. s. Quare his & reliquis omnibus immodica caliditas, & frigiditas, vehemensq́; inæqualitas vitanda, ex consilio Oribasij 1. Euporistôn, qualis est in autumno matutinum vespertinumq́; frigus, meridianusq́; æstus.

Aëri annectunt ventos, flatus, auras, quorum

rum obſeruatio neceſſaria eſt, vt Hippocrates aſſerit lib. de humo. quatenus nō corpus modò, ſed & animum ſolent afficere: nam vbi frequētes ventorum ac turbinum ſunt varietates, difficiles atq; proteruos homines reperiri, perhibet Plato 5. de legib. An ventus ſit aëris vnda, ſiue fluxus, vt finit Hippocrates lib. de flatib. & Seneca 5. nat. quæſt. non ſilens ſcilicet & tranquillus, quo ſubinde aër agitatus purgatur, ſed concitatior. Hanc aëris definitionem 6. Top. & 2. Meteo. à ſe repræhenſam, probare videtur Ariſtoteles 5. Probl. 17. Perſpicuum eſt enim exhalationem ciere motu ſuo aërem, quæ in aëre lateraliter mota exhalatio, ventus Ariſtoteli dicitur. Mouetur autem circa terram: etenim in ſublime partim Solis, aſtrorumq́; vi, partim natura dum attollitur, obſtaculum inuenit, mediam aëris regionem frigidam calidum abs ſe repellentem: ideo retunditur exhalatio, meatq́; in obliquū circa terram. Itaq; quia nimio frigore ſopitur exhalatio, ac nimio æſtu ſoluitur, Sol augere, & cōprimere flatus dicitur. Auget exoriens, occidensq́;, comprimit meridianus æſtiuis temporibus, vt tradit Plin. 2. nat. hiſt.

Vent

Ventorum diſcrimina ſumuntur ex ſtatis motus temporibus, vt Eteſiæ quibus nulli ventorũ magis ſtati ſunt:nam poſt biduum exortus Caniculæ perflant cõſtantiùs diebus quadraginta, tertia diei hora orientes, noctuq; nunquam ſpirantes, vt narrat Plinius præallegato loco. His flantibus Nilus maior effluit,vt retur Seneca 4.nat.q.Con trà Herodotus in Euterpe,incrementi Nili cauſam non eſſe Eteſias diſputat. Dubium itẽ, nam Diodorus j.de fabuloſis antiq.geſtis, Non ſeptentrionales venti, inquit, ſed qui ab æſtiuo occidente flant Eteſiæ vocantur.Plinius contrà,ex parte Aquilonis Eteſias flare aſtruit, loco præcitato, & lib.34. Aquilo,infit,mollit ſydera ęſtate media,mutatq; nomen, & Eteſias vocatur. Galenus quoq; Plinio ſuffragari videtur lib.de hiſt. philoſ.Eteſiæ,inquiens,recedentem Solem peracto ſolſtitio ſequuntur,aëre ad ſeptentrionem iam inſpiſſato:& 3.epi.com.3. Eteſia flans remittit æſtum. Rurſus ait,Prodromi & Eteſiæ temperant æſtatem. Ducuntur inſuper ventorum differentiæ ex regionibus & locis,quibus peculiares ſunt, vt in Narbonenſi prouincia Circius,nulli violentia

tia inferior. In domibus etiam multis inclusa opacitate conceptacula, auras suas habent, vt effert Plin. Plures præterea ventorum species sumuntur ex quatuor mundi plagis: quarum meridies & septentrio perstant, suntq; immobiles. Ortus contra atq; occasus nũquam eodem se modo habent, ob perpetuam Solis in gradibus signorum in æquidiali, vel tropicis, per ascensum & descensum mutationem. Hinc triplex ortus, & occasus. Ab ortu verno flat ἀπηλιώτης, id est, Subsolanus: à solsticiali καικίας: à brumali εὖρος, id est, Vulturnus, qui & euroaquilo & aliquando Typhonius, ni fallor, appellatur: ab occasu æquinoctiali ζέφυρος siue Fauonius: à solsticiali ἀργέστης, id est, Chorus: à brumali λὶψ, id est, Africus: in medio meridie νότος locatur, id est, Auster: inter quem & exortum brumalem εὐρονότος, inter eundem & occasum λιβονότος spirat: austro oppositus est ἀπαρκτίας, siue Septentrionarius: inter quem & exortum Βορέας, id est, Aquilo vociferat. à septentrione ad occasum θρασκίας, hoc est, Circius spirat. Eadem ferè tradunt Vitruuius j. de architect. & Vegetius 4. de re milit. sed hic

minus explicatè, quoniam ventos collaterales ad dextram vel ſiniſtram perflare dicit. Atqui dextra mundi pars Aſtronomis occidua eſt, Geographis orientalis. At poëtis ſeptẽtrionalis inauditur. Nec prætereundum, alias eſſe ventorũ ſpecies apud Theophraſtum lib. de ventis, veluti ſunt Apogei, quos ex humecta perflare terra Ariſtoteles dicit lib. de mundo, & matutino imprimis ſpirare, ait Theophraſtus. Eccolpias vocant qui ex ſinu quopiam euaporant. Tropæos & Altanos, qui ex mari, fluuijs, ſtagnisq; conſurgunt. Qui autem è nube diſciſſa prouolant, procellæ interpretantur 26. Probl. 4. Si craſſi τυφῶνες, id eſt, turbines. Minus denſi Ecnephiæ appellantur.

Iam verò omnis ventus eſt exhalatio: calidus & ſiccus, niſi locorũ, per quę tranſit, vaporibus & qualitatibus immutetur. Qua ex re Auſtrales calidi & humidi, & Boreales frigidi ac ſicci ſunt, 3. Aph. com. 5. & 17. Orientales calidos & ſiccos eſſe, Occidentales contrà frigidos & humidos autumat Auerrhois j. cant. com. 115. Sed Eurum Ariſtoteles eſſe humidum innuit, & Fauonium temperatiſſimum facit, 26. Probl. 33. Fauonius,

nius, inquit, neque calidus eſt, vt qui meridie ortuq́; ſpirant: neque frigidus, vt qui de ſeptentrionibus eueniunt: ſed medium frigidorum & calidorũ flatuum tenet, ideoq́; ſerenus, & iucundiſſimus ventorũ omnium eſt. Sunt ergo Orientales, humidi calidiq́;, ſed minus quàm Auſtri : Occidentales frigidi atque ſicci, ſed minus quam Aquilones. Ex quo ſequitur eos, qui ab ortu flant, non eſſe occiduis meliores, ſicut ſentire videtur Auicenna 2. primi. Siquidem ventorum omnium ſaluberrimus eſt Aquilo, ſi credimus Celſo, Plinio, & Aetio. Omnes enim ſuperfluitates conſumit, roborat, denſatq́;, corpora facit bene mobilia, coloratiora, meliùs audientia, omnesq́; ſenſus bonos, 3. Apho. com. 17. Noxius auſter, & magis ſiccus, 1. Probl. 23. Forſan quòd minus cum imbre æſtuoſus redditur. Siccus enim vocatur, qui ſpirat ſine imbribus, 3. epi. com. 3. Fauonius hybernum mollit cœlum, vt ait Plinius. Præ alijs ventis agriculturæ commodum eſt, vt Florentinus j. collectionum rei ruſticæ. Maritat atque fœcundat aues fœminas. Vt Plutarchus ſcribit 8. Sympoſi. Certè perdices ſi aduerſę maribus ſteterint

ventusq; inde afflat vbi mares stant, concipiunt & maritantur, teste Aristotele v. de gener. animal. Vt omittã quod ab Homero Plinio & Solino scriptũ est, Fauonio equas in Lusitania concipere. In totum venti salubres putandi sunt, qui intemperata anni tempora immutant atq; corrigunt. Locales venti qui à salubribus locis spirant, salubres sunt. Qui verò à morbosis, insalubres iudicantur. Itaque omnes locales sunt vniuersalibus morbosiores, vt ex Adamantino tradit Aetius.

Regiones varios parere humores, hominumq; temperamenta immutare, & consequenter mores, asserit Hippocrates lib. de aëre & aquis, &c. Idem asserit & Galenus 2. nat. virt. & lib. quod animi mores, &c. Immutant autem non per se, sed aëris pro regionum varietate alterati ratione. Iure ergo aëris temperies in tempus & regionem diuiditur lib. de curat. per sang. missio. Ex ętatibus aliæ ad tempora & loca bene vel male se habẽt. 3. Aph. 4. Aristoteles efferis moribus & aspectibus esse, qui in nimio æstu vel frigore colunt: viuaciores, sapientiores, timidioresq;, qui in locis calidis degunt: fortes

ſortes, qui in frigidis: ſomnolentiores, qui in paluſtribus, ſcriptum reliquit. 14. Probl. Aër etiam cauſa eſt quamobrem apud Scythas Philoſophus vnus extitit nempe Anacharſis, plurimi contra, Athenis. Rurſus in Abderite complures ſtulti, Athenis vix pauci vixerunt. Ex quibus euidentiſsimum fit, quòd in diſcernendis regionum qualitatibus non parum confert conſiderare incolarum habitudines, colores, ingenia, moresq́;, ſicuti in præcedentibus de aëre adnotatum iam eſt.

Regio orientalis, & quæ ad ſeptentrionē ſita eſt, ſalubrior iudicatur. Locaq́; alta frigidiora & ſicciora profundis atque campeſtribus cenſentur ab Auicenna 2. primi. Quocirca illi qui loca edita, apertaq́; colunt, tardiùs ſeneſcunt: qui autem caua & paluſtria, ociùs: quòd aër in paluſtribus maneat immotus, impurusq́;, vt ait Ariſtoteles loco præcitato. Verùm cur timidi dicuntur 14. Probl. qui loca feruida incolunt, veluti ſunt Syri, Arabes, Mauri, Indi: fortes è diuerſo, qui gelidis in locis habitant, ſicut Galli, Britanni, Germani, Scythæ, Thraces: An quod pauoris cauſa gemina ſit ſangui-

nis videlicet frigiditas & craſsities. Vtrunq; notauit Virgilius hoc ſenario, Frigidus Arcadibus coit in præcordia ſanguis. Addit Scaliger vir impensè doctus ſanguinis paucitatem: ſiquidem eos reddit animoſiores ſanguinis copia, qui in frigidis ſedent regionibus. At iſtorum, vt inquit, ſanguis vt multus, ita dilutus eſt. Quippe poſt primæ impetum æſtuationis deferueſcit. Alijs contrà accenditur: pertinaciſsimè nimirum pugnant Mauri & Indi. Hoſtem cominus inuadunt, in tela ruunt, etiam lanceis tranſfixi. Itaque eorum audentiæ argumentum licet colligere ab animalibus feris, quas Regiones illæ generant, & producunt: etenim Leones qui in locis Aphricæ calidioribus naſcuntur, maiori proteruia homines inuadunt, ſuntq; feri, ſæuiq; magis quàm illi, qui montium frigidorum ſunt incolæ, vt ſua in Aphricæ deſcriptione teſtatur Ioan. Leo.

Loca caua & non aquoſa ſiccant, & calefaciunt. Caua lacuſtria humectant, calfaciuntq;, vt ſentit Hippocrates lib. de aëre & aqua, &c. Item à mari præſtat longo potius interuallo quàm breui refugiſſe. Quia media ſpacia ſunt grauioris halitus, vt 1. de re

ruſtica

ruſtica refert Columella. Alioqui marina lo
ca præter lacuſtria (hæc enim nocentiſsi-
ma ſunt teſte Raſio. 1. ſuorum Aphor.) ad
diu viuendum plurimum conferunt. Siqui-
dem, vt etiam Cardanus ait, quod eſt hu-
midi natiui minus conſumitur in humidio-
re cœlo, nec facilè ob ſalſedinem corrum-
pitur. Eandem ſententiam in paraphraſi de
long. & breuit. vitæ Auerrhois tenet. Eos
ſcilicet diutiùs viuere ob caloris & humidi
abundantiam. Sed alia ratione Plato in li-
bris de re publ. fugiendum eſſe mare cen-
ſuit, non ſalubritatis ergò, verùm quòd ma-
re ſit improbitatis magiſter. Mare attingen
tes, inquit Strabo ſunt deteriores. Vnde
maritimi mores pro peſsimis celebrantur.
ſunt enim maris accolæ nouarum rerum
ſemper cupidi, & maris naturam cui adia-
cent referentes: nanq; vt mare natura ſua
vndabundum procelloſumq́; eſt, ſic animo
illi ſemper fluctuare videntur.

Loca inſuper commutare, nonnunquam
operæpretium eſt. Etenim vt temperatus
aër temperatis hominibus ſaluberrimus pu
tatur. Ita intemperatis naturis aër is, in quo
contrariæ qualitates exuperant, optimus

 erit.

erit. Quando non aliter immoderata corporis complexio ab intemperatis causis, quàm temperata à temperatis seruatur, vt colligitur 3.art.par. Sic ex morbis alij ad alia bene, male've se habent. 3.Aph.3. Terram mutare confert in longis morbis. 6.epi.vt in sontico morbo. 2.Aphor.45. In vlcere pulmonis & tabidis.v.therap. In pestilentia quoque perigrinari oportet, ex Celsi sententia lib.1. At vbi peregrinari non licet, aër alterandus pyræ incendio. Ad exemplum Hippocratis, qui pestem ab Illyricis ad Græciam venientem ignibus fragantibus sedauit, vt Plinius narrat 7.natur.histo. & Galenus lib.de theria.ad Pisonem. Hoc idem factitasse Acronem Acragantinũ recensuit Ægineta lib.2.

In locis & regionibus continetur ædificiorum ac ædium, domorum, ędicularumq́; ratio. In quibus expetenda, non modò firmitas, sed amœnitas (quæ & ipsa pluriniùm iuuat ad inhabitantium salutem) & salubritas præcipuè. hæc confert præter corporum robustam habitudinem, ingenij acumen. Quæ vna res, inquit Merula, effecisse potissimùm creditur, vt Athenienses acu-

mine

mine ingenij Thebanis multò præstiterint. Salubritas autem ex situ, Sole, ac ventis petenda est. Quandoquidem domus maximè probatur, quę in sublimi constructa (hic enim locus vt Florentino placet 2. collectionum de re rustica, & ad sanitatem speculationemq; ac regionis collustrationem aptissimus existit) æstate vmbram ac ventos afflabiles, hyeme verò Solem recipiant. Erunt autē huiusmodi, si auerso Borea fuerint æqualiter latæ: hoc est, non versæ ad omnes partes, sed oblongæ ad meridiem spectantes. Ad quā partem Boreas & Aquilo oppositi perflant. Nam Sol (vt refert Aristoles 1. œconomicorum) in ęstate altiùs incedens domos ad meridiem versas non intrat. hyeme contrà propinquiùs accedens totus per fenestras infunditur. Ita æstate vmbram & ventos, & hyeme Solem habebunt. Itaq; cubicula hyemalis temporis secundùm Columellā spectare debent æquinoctialem occidentem, æstiua meridiem æquinoctialem, cœnationes eiusdem temporis hybernum orientem. Balnearia occidentali ęstiuo aduertantur, vt sint post meridiem & vsque ad vesperam illustria. Am-

bulationes meridiano æquinoctiali subiectæ sint, vt hyeme plurimùm Solis, & æstate minimùm recipiant. Igitur in condendis domibus quatuor cœli cardinum ratio maximè consideranda est: vt alia æstiuis, alia hybernis tēporibus adscribantur loca: nanque aliæ alijs debentur laxitates & situs. Æstiua enim maiora spatia exquirunt: hyberna si compreſsiora fuerint, non improbantur. Tum æstiuis vmbræ & flatus, hybernis verò soles debentur. Pręterea ad eorum tutelam quæ necessaria sunt ad victū, ædificatio ex neceſsitate profecta est. Verbo autem victus, si credimus Vlpiano, continentur quæ esui, potuiq́;, cultuiq́; corporis, quæq́; ad viuendum homini necessaria sunt. Vestem quoque victus habere vicem, Labeo ait.

Insuper est alia corrigendi aëris ratio. nam in cōclaui aër salubrior reddetur hyeme, per storeas aut centones supra tabulata instratos, suspensos tapetas, peripetasmata, aulęa'ue circum posita: sed pręcipuè suffitu odorato plantarum, seminum, corticumq́; paratu facilium: veluti rorismarini, iuniperi, aurantij, limonū, citri & similium.

In

In æſtu quoque in magnis domorum areis ſiue cortibus & hortis eriguntur atagiæ ex herbis, frondibus, & ramis opere topiario, quæ ab inſolatu vindicant. Aër quoque alteratur in cœnaculo & triclinio, ſi aqua puteali cum aceto vel roſacea aſpergantur pauimenta. Si interibi plena fructibus (quorum facultas frigida, humidaq́; ſit) caniſtra & ciſtæ includantur. Si eiuſdem qualitatis flores, & germina foliaq́; ſuper aſarota proijciantur. In hoc etiam hærent parietibus deauratę cortinæ. Sic apud Præſtanum, ſi vera narrat Mandeuila, nonnullarum apparata ferarum coria ad regij cubiculi parietes appēduntur, vel pro amuleto, & tanquam efficaciſsima aduerſus aërem peſtilentem. Idem, vt opinor, præſtare poſſent coria hybernica appenſa: quia venenoſa fugant, nullumq́; venenoſum in Hybernia animal reperiri ſcribit Vitalis.

Rurſus ab indumentorum natura corpora affici certum eſt: nam Hippocrates his vetat, qui epilepſiæ addicti ſunt, veſtimentis ſtragulis've vti ex pellibus caprarum factis lib. de ſacro morb. ſunt enim tetri odoris, capitiq́; noxiæ. Quanquam illæ mirifica vi

ca vi hyberno tempore calfaciant, si pilos ad corpus conuertas. Æstiuo refrigerent, si inuertas, vt refert Ælianus 6. histo. animalium. Vestimentum lacerum & leue hyeme lædit. Graue autem ac æstuosum æstate, lib. ad Trasyb. ex accidenti scilicet. Vestimenta nanque & nobis ipsis excalfacta, rursum nos recalfacere consueuerunt, vt inquit Galenus 2. simplicium. Si verò vestium ratio pro anni temporibus sit habenda, vt vult Polybius lib. de r. v. priuat. hyeme chimastrum, æstate theristrū accommodum erit. Ad vestes æstiuas pertinent sericæ, bombicinæ, villosæ, rasiles, floribus variatæ, simplæ, quas rallas, vel duplæ textura, quas vndulatas vocant. Mirum quòd oleo imbutas & sordidas induere per æstum mandat Polybius. Quum mundicies commendetur ab Hippocrate 6. epi. & lib. de officina chirurgi. vtpote, quæ nostræ amica naturæ sit, atque familiaris. Eoq; magis est inuisa spurcitia, quo sanguis fuerit purior, vt rectè opinatur Menapius. Ad brumam conueniunt tunicæ lineæ, & byssinæ, subucula lanea, vel ex erioxylo textilis, thorax ex panno coccineo, vel perizoma plumarius, diplois subserica,

ſerica,ſemoralia,tibialiaq; lanea,calceoli linei,& ſculponæ. Addunt nunc pro calceis & crepidis leues ocreas ac mulleos, à quibus & piſcis nomen deriuatum eſt. Inſuper ſagum,togam, ſiue pallium denſum aut tenuem pellitum, vel ſericum pelliceum, aut goſsipo contextum. Inter pelles vt præſtantiſsimæ ſunt,ſic ſalubriores habentur Sabellæ, ſiue Matrum leues, odoratæ,fricacione leui ſcintillantes, ſpadicæ potius quàm mellinæ. Mox melum, variorumq; ſelum, quas ad nos mittunt Sarmatici. Nam Ælurorum noſtratium odor, pulmones offendere teſtatur Auenzoar 1.theſir. Ob id eorum pelles deteſtatur. Agnina pellis,vt idem aſſerit, puerorũ membra roborat, vt leporina ætate florentibus accommoda eſt. Commendantur etiam ferarum pelles odoratæ, quæ varijs diſtinctæ maculis ſunt, vti Pardalis & Lyncis, Thois ſiue Lupi ceruarij, Genetæ, Marcati,Anabulæ. Sed Tigridis & Pantheræ propter corij craſsiciem & grauitatem, potius ſtragulis quàm veſtibus ſunt appoſitæ. Nunc tamen milites pro veſte vtuntur pellibus integris Luporum, Vrſorum, Phocarumq; artificioſè elaboratis, ceu & Lapones.

pones. Optimũ ſtragulum fit ex pelle ceruina quæ fugat ſerpentes, ex lupina quæ pulices, ex leonina quæ tineas arcet: Hæc itẽ hæmorrhoidibus immodicè fluentibus remedio eſt, ſicut lupina colicis doloribus, & vulpina arthriticis vtilis perhibetur apud Sextum & Raſem lib. de proprietate animalium. Pro tegmine capitis multis ſufficit in nocte aſcolphalia, quidam vtuntur denſiori, vt cucullo cum calantica, ſed interdiu birro, vel pileo.

Vtrinque tamen vitandum immodicum capitis tegmen. Id enim caput infirmat, vt aſſerit Auicenna 1. tertij canonis. Nec alia ratione apud Herodotũ lib. 3. & Syneſium in caluitio Perſarum capita adeò fragilia ſunt, vt ſi velis ferire, vel ſolo calculo, perforare poſsis. Ægyptiorum autem ita firma, vt ea vix ictu lapidis elidas. Iſti enim ſtatim à pueris radere capita incipiunt. Et ſic os capitis ad Solem redditur compactum. Illi contra à principijs imbuuntur cooperire capita, geſtantes pilea, tiarasq́;. In ſumma ſicut in pleriſque omnibus mediocritas eſt ratio optima, ſic in veſtitu. Cultus enim conceſſus atque magnificus addit hominibus

bus (vt Græco versu testatum est) authoritatem. At muliebris & luxuriosus non corpus exornat, sed detegit mentem. Inde videtur natum apud Lucianũ scomma, Iam ver adest, & vndenam Pauo.

De his quæ assumuntur cibo & potu, ac vtriusque differentijs & facultatibus. De arcenda cruditate. Deq; his, à quibus cibandi & bibendi consilium ducitur. CAP. III.

ALIMENTA sunt corpora orta ex prima mixtura elementorum, prima primi. Quæ scilicet substãtiam corporis augere possunt, primo.s. modò concocta asimilataq; sint: secus enim nutrire nequeãt. Est autem nutritio adsimilatio nutrientis ei, quod nutritur. Concoctio verò nutrientis mutatio in propriam eius quod nutritur qualitatem, primo & 3.nat.vir. Vnde alimenta mortale genus tuentur, 12.ther. Quando sine his ne viuere quidem, neq; in secunda, neque in aduersa valetudine posimus primo alim. Quippe tandiu viuimus quandiu nutrimur, vt ait Aristoteles 2.de anima.

Alim

Alimentorum differentiæ ducuntur ab horum materia, præparatione, & viribus. Ex materia quidem, quia vniuerſa alimenta cerealium ſeminum, plantarum, aut animalium ſunt. Cerealia diuiduntur in frumentacea, & legumenta. Priora in triticum, ſar, typham, & olyram (quam nunc ſiliginem vocant) ordeum, bromum, ſorgi (quod meliam pedemontani dicunt) milium, panicum, irionē ſeu eryſinum, quod frumentum turcicum putatur. Poſteriora in piſa, fabas (quibus caremus ſi Cordo credimus) cicera, phaſeolos, lentes, lupinos, & id genus.

De plantis ſunt ſatiuæ & ſylueſtres, olera, cymæ ſeu aſparagi, & turiones, quos vocant ἀκρέμωνες (pro quibus ἀκρίδες lubrico lapſu, quantum opinor, ſuppoſitum eſt Matthæi 3. in Diui eſca Ioannis. ἡ δὲ τροφὴ αὐτοῦ ἦν ἀκρίδες καὶ μέλι ἄγριον) radices, fructus horæi, ſiue fugaces & conditanei. De animantibus, volantia, greſſibilia, natantia. Priorum quędam cicura, alia ſylueſtria, iuniora, conſiſtentis ætatis, vetula, bono habitu prædita, pinguia aut macra. Piſcium nonnulli marini, alij fluuiatiles. Quidam

in

in mixta aqua degunt. Maritimorum à tegumentis quinque differentiæ ſecundum Ariſtotelem 4.de nat.animal.& Galenum 3.de alim. Cartilaginei, & incartilaginei,vt ſunt omnes ſquamas, & ſpinas retinentes. Molles, qui ſanguine, & viſceribus carent, velut ſepia. Alij cruſta integuntur, vt cancri: alij teſta, ſicut oſtrea & conchæ.

Ex præparatione differentiæ ſunt multiplices. Eſt autem præparatio non vtilis modò, ſed etiam neceſſaria. Quoniam quæ nutriunt, ferè cuncta præter lac, ad eſum inepta, aut nocentia ſunt, niſi piſtoria, obſonatricis'ue arte (vtranque ſub coquinaria comprehendit Apicius) bene apparentur,vel condiantur. Malè nanque præparata ventrem non poſſe bene concoquere teſtatur Galenus 4.de t.ſ. Proinde adulationes ſubeunt artes, vt in Gorgia Plato perhibet. Nempe medicinam coquinaria ſubit,eiq́; ſeruit.Per hanc enim quæ elaborata, concoctaq́; ſunt, magis quàm inelaborata & cruda mutantur, non in ore ſolùm, ſed in ventriculo, iocinore, venis,ſingulisq́; partibus. Siquidem quatuor ſunt concoctiones, quæ mutuò ſeſe excipiunt,

3.& 4.de t.ſ.& lib.de euchy.

Hinc ex tritico, quod etiam elixum & manſum ęgerrimè conficitur, cum fermento & ſale, id eſt, præparatione, fiunt panes coctiui, quibus nihil in vita vtilius, vt cum Galeno teſtatur Aphrodiſeus, prima Probl. prologo. Huc refer placentarum ſexcenta genera ex Athenęo. Ex hordeo fit polenta, ptiſana, melyſis, & cremor. Ex legumentis decoquendo in ſuccum reſolutis, efficiuntur puls, pulmentum, ſorbitio, chidra, aliæq́; ſorbitionum ſpecies. Ex plantis & oleribus, quæ ferè omnia vitioſo ſucco conſtant, 2. Alim. multijuga condimenta, nec inſalubres epulæ parantur, vt κνιστὰ Polluci, ſeu conciſa olera, ſiue minutal herbaceũ, moretum, acores, acetaria, acrimonia, varijq́; intinctus, vt omittam holerum, radicum, turionum, & fructuum condituras, mellita, ſaccharaceaq́; bellaria. Sic ex carnibus & piſcibus non apparatis nihil eſculentum, ex apparatis contrà diuerſa concinnãt opſonia, aſſata, frictilata, cruſtulata, elixa, iurulenta, iuſculaq́; ipſa. Ex quibus ius glaciatum efficitur, pelanos Euripidi dictum in Oreſte. Aliqui huiuſmodi gelu, ſiue ge-

licinium,

licinium, enogarum indigitant. Huc pertinent gingeria, hyſitia, tucetum cibarium, multiplexq́; pulpamentum, artocreæ, lucaniæ, apexabo ſeu botellus, & alia farturarum farciminum'ue genera. Carnes duræ vel fibroſæ pluribus diebus aëre macerantur, quo tenereſcant, lib.de vic.att.ſic heſternum quàm recens mactatũ faciliùs concoquitur, 3.alim.& 7.ther. Non diſpariliter in cerealibus & plantis edulia, quæ vehementem quampiam gerunt virtutem, ne paululũ quidem alere poſſunt, niſi maceratione, elixatione, aut aſſatione fuerint apparata, vt lupini, cepa, allium, & id genus alia. In omnibusq́; dapibus quicquid flatuoſum continetur, per calefacientia & extenuantia corrigi, comparatũ eſt, 3.de alim. Lactarij operis ſunt caſeus recens & vetus, pyriaſtes, ſiue recocta, butyrum, melcha, aphrogala, argyritrophema. Oua ex vario cocturę modo fiunt trometa, apala, ephtha, teganiſta, pnicta. Oua à venatoribus coquuntur non modò igne & ſole, ſed etiam longo vertigo fundæ impoſita, ſiue diu rotata.

In alimentorum delectu cerealia denſa,

ponderosa, plena, foris vndique tensa, præferuntur rugosis, cassis, gracilibus. Quę parua mole multũ substantiæ continent, eamq́; crassã & glutinosam, probissimi succi sunt, & nutrimenti. Haud tamen facilè per ventrem descendunt. E diuerso quæ mollem minimeq́; densam substantiã habent, eamq́; furfuraceam, commodiùs deijciuntur, sed tenuiùs alunt. Graueolentia insuauiaq́; praui succi & difficilis coctionis sunt omnia. Quæ verò aqua perfusa non mutantur, sed duriciem retinent, deteriora. Quæ deponunt, turgescuntq́; præstantiora, non modò ad concoctionẽ, sed probos etiam succos generandos, vt Galenus asserit primo alim. & lib. de euch. Mirum, quòd semina, quæ in boum cornibus impingunt, effœta & contumacia reddantur. Quod verum putat Rases lib. de propr. animal. De quo disceptat Plutarchus 7. Symp. Nec est contemnendum de repurgandis seminibus à lolio, melampyro, araco, & huiusmodi vitijs, priusquàm in vsum sanorum veniant præceptum. Alioqui noxa singulis diebus succedet. Quæ etsi præ exiguitate insensibilis videatur, haud tamen longa dierum

serie

ſerie collectam, effugiemus impune, vt prodit Galenus primo de alim. Inde natum videtur Plautinum prouerbiũ, Lolio victitare. Condrus egregiè nutrit, & viſcoſum humorem parit. Puls ex eo confecta vitioſa eſt, quòd quamplurimum craſſeſcens incocta permanet. Aliqua in reliquis condro ſimilis, ſed magis aluũ ſupprimit. Triticum elixum concoctu difficile, & inflat. vbi autem concoctum fuerit, valentiſſimam præſtat alimoniam. In panem redactum inflandi vim, & concoctionis difficultatem exuit, quòd fermenti ſaliſq; particeps ſit. Siligineus panis omni alio magis alit: mox similaceus: deinde ſyncomiſtos, id eſt, cibarius, cui nihil ademptum eſt: ſordidus ſiue furfureus minus alit, ſed magis per ventrem deſcendit: clibanites facilè concoctilis: furnaceus grauem reddit concoctionem. In ſartagine aſſi, vt frictellati, placentæ, itria, omnia craſſi ſucci. Amylum ſimilem cum elotis panibus habet facultatem: exiguum enim alimentum præbet. Hordea refrigerandi & abſtergendi vim obtinent. Elixa humectant: fricta areſaciunt. Ordeaceus panis exigui eſt alimenti, & craſsi. Milium &

panicum frigida ſunt & ſicca, parum alunt, ventrem cohibent. Oriza coctu difficilis, parum alit & ventrem ſtringit. Lens atram bilem parit, ventrem aſtringit, maximè bis cocta. Decoctum eius aluum mouet. Fabæ viridis humidior eſt alimonia, ideo minùs nutrit, & promptiùs digeritur. Siccæ fungoſam leuemq́; habent ſubſtantiam, & abſtergunt, & inflant. Piſum non adeò inflat, & abſtergit, & ſegniùs per aluum ſecedit. Cicera inflant, abſtergunt, genitale ſemen augent, fricta flatum amittunt, ſed difficulter coquuntur. Lupini concoctioni reſiſtunt, & ægrè tranſmittuntur, crudumq́; ſuccum pariunt.

Plantarum temperies olfactu & guſtatu depræhendenda eſt. Et inter congeneres ſicciores, ſylueſtresq́; vitioſi ſucci ſunt: ſatiuæ humidiores. Ex holeribus omnia leuiſſimum alimentum & humidum ac tenue exhibent. Nullumq́; probis ſuccis prędìtum eſt. Medium bonitatis, vitijq́; tenet lactuca. mox ſequitur malua, dein atriplex, portulaca, bliton, & lapathon. Adde vtrunq; bugloſſum, caltham, quam vocant calendulam, & ſeriolam. Extremè praua ſunt ſylueſtria.

ſtria, vti intubus & cichoreum. Aſparagi & cymæ ſtirpium calorificarum, vel acrium humidiores ſunt, humidorum contrà ſicciores. Radices holerum acres vitioſæ ſunt. veluti cepæ, porri, allij. Mediæ inter bonas & malas conſiſtunt arorum, raparum, naporum, & carus.

Arborei fructus ferè vniuerſi, præter caſtaneas, vitioſis ſuccis donati ſunt. Minus mali ficus, & vuæ, ac pyra, vt Pſellus poſt Galenum iudicat. Caſtaneæ tamen in attenuante victus ratione ſiue elixentur, ſiue aſſentur, ſiue frigantur ſemper ſunt prauæ. Et multo magis ſi crudæ mandantur. Nam licet boni ſucci, craſſi etiã ſunt, & ægrè conficiuntur, vt inquit Galenus. Oligotrophas id eſt, exigui nutrimenti appellant immaturos & humidos: quoniam tenuem humidamq; alimoniam corpori offerunt, quę neceſſariò cõmeabilis exiſtit. Fugaces in ventriculo corrumpuntur, niſi celeri deſcenſu id mali effugiant. Proinde canon eſt, vt omnia cibaria prauum ſuccum cum humiditate & lubricitate obtinentia, ex faciliq; deſcendentia, prima menſa ſumantur, ſiue primo ante omnia loco: quæ verò deie-

ctionem procurantium tardè commeant, postremo ſumenda ſunt ordine. At præſtiterit ab omnibus vel immaturis, vel tempeſtiuis, vel mali ſucci fructibus abſtinere: ac parcere cùm auſteris, vt ſorbis, tum acerbis, vt meſpilis, vel his ſaltem non affatim, vt ficubus & vuis, ſed parcè vti, ex Galeni ſententia, 2. de alim. & lib. de euchy.

Animantium caro in his, quæ volatu fidunt, pedibusq; nituntur, adoleſcentium præſtantior eſt, quàm declinantium. Florentium in medio hęret. Noxia admodum nouellorum & vetulorum. Verùm diſtinguenda temperies eſt, ſiquidem in ſiccis nouellorum caro præſtantior, nempe hædi, vituli, lepuſculi, & hinnulorum caro melior eſt, caprina, bubula, leporina, ceruina, dorcadis, & capreoli. In humidis natura, & excrementitijs non item, ſed diuerſum accidit, quoniam redundantem humiditatem ætatis decurſus corrigit. ſic veruecis caro quàm agni, & ſuis quàm porcelli ſalubrior. Prætereà in exercitatis benè paſtis, bonoq; habitu præditis caro coctibilis magis, melioriſq; ſucci eſt, quàm quæ ex pinguium aut macrorum laniatu accipitur. Caſtrato-

rum

rum non omnium caro præſtantior, ſed illorum duntaxat, quorum craſis ſicca, calorifica'ue eſt. In vniuerſum ſylueſtria cicuribus alimentum præbent aridius, minusq; ſu perfluitatibus redundans. Auium omnium genus leuiſsimum cibum præſtat, ſi ad quadrupedes conferatur, quòd ob facilem concoctionem præcipuam laudem meretur, maximeq; perdicis, atagenis, gallinaginum, gallorum gallinaceorum, & gallinarum, columbæ, turdorum, ficedulæ, merularum, paruorumq; paſſerum, id eſt, auicularum, quæ στρουθοὶ dicuntur, non item paſſerum, qui ψᾶρες nuncupantur ab Ariſtotele, 4. & 5. de nat. ani. Coturnices etiam commendantur, niſi in regionibus, in quibus veratrum abundat, quo veſci ſolent. Itaque multi ex earum eſu muſculorum diſtentionibus correpti ſunt, vt Galenus memorat 6. epi. com. 5. Phaſianæ gallinis concoctione pares, & nutrimento, cibo etiam ſuauiores. Durior & fibroſa pauonis pulpa, qua ex re ita reſiſtit putredini, vt etiam poſt annum cocta, guſtatu & odoratu ſuauis ſit. Qua de Diuus Auguſtinus mentionem facit 21. de ciuitate Dei. Turdorũ inter grues

& anſeres media. Quæ in ſtagnis, paludibus, aut lacuſtribus degunt, excrementitiæ ſunt, hoc eſt, pituitoſam humiditatem in ſe reſperſam continent, concoctuq; difficiles redduntur. Caro itaque omnis quum probè fuerit cocta, optimum ſanguinem gignit, præcipuè quæ eſt animalium, quæ bono conſtant ſucco. Cuius generis ſuilla eſt, quæ ſaluberrima ſecundum Galenum exiſtit, & ſimilitudinem cum humana habet: mox hædina, vitulina. Et ab aliorum greſſibilium carne abſtinere eos iubet Galenus, qui bonorum ſuccorum curam habent. Sunt tamē qui bubulam potius quàm ſuillam humanæ carnis ſimilem ex guſtatu adiudicauerunt, apud Alexandrum Bened. in anatome.

An verò ſuilla ſit adeò probi ſucci, dubium eſt. Sanè conſtat experimēto quòd frequens ſuillæ eſus elephantiaſim generat, quum facilimè grandinoſi fiant ſues, vel Ariſtotelis teſtimonio, qui vnum inquit, ex omnibus quæ nouimus animalibus ſus grandinem concipit, 8. de natura animal. Propterea Iudæis tanquam lepræ addictis, ſi Tertuliano, & Bap. Mantuano credimus,

Moſes

Moſes ſuillæ vſum interminatus eſt. Adde quòd pauci vel nulli in Hiſpania leproſi ſunt, quoniam à ſuilla abſtinent, vel parcè ea vtuntur.

Piſces vt aues propemodū vniuerſi probis pollent ſuccis, niſi quos ſtagna, lacus, limoſiq́; riui, & turbidi ferunt: ſed qui in áqua ſyncera, vel in mari puro victum quęrunt. hi autem odorem gratum, tùm guſtum ſuauem habent, & pinguitudinē paucisſimam veluti ſunt pelagij dicti, & ſaxatiles, lib. de euchy. In totum molles & friabiles ſanitati quàm maximè congruunt, vt pote qui facilius conficiuntur, omniumq́; optimos pariunt ſuccos, 3. alim. Adoleſcentum, ætateq́; florentium præſtantior caro. Viciantur enim ſenectute piſces, quę ſenectus in illis duricie, magnitudineq́; ſquamarum declaratur. Omnesq́; mares ſuis fœminis ſunt præſtantiores, ſiluro & anguilla exceptis. Hinc eſt quòd corporis gracilitas ac mediocritas in piſcibus laudatur, 5. collec. Auerrhoi. Nam magnitudo multam arguit humiditatem, quæ aquatilium fœmellis ineſſe ſolet. Quippe in omni ferè piſcium genere fœmina maior quàm mas eſt

ſententia

ſententia Ariſtotelis 5.de nat.anim. Piſces quum impleri incipiunt coitu,boni omnes ferè ſunt. Teſta & cruſta inte<U+0063><U+0074>a, molliaq́; præſtantiora in cibum redduntur, quum grauida ſunt. Fluuiatiles & lacuſtres optimi poſt partum, & ſeminis genitalis emiſsionem, vt ait Ariſtoteles 9.de nat.animal.& 5.Pariunt,inquit,nũc plurima ſui parte menſibus his tribus, Martio, Aprili, Maio. Probantur autem Auerrhoi piſces ex tegumentis, quæ rem contrariam eorum temperamento ſignificant,vt ſunt ſquamæ: quas tamẽ maiores & duriores vetulis adeſſe quam iuuenibus ex Ariſtotele ſupra indicauimus.

Oua gallinarum, phaſianarumq́; & meliagrium meliora. Anſerum atque ſtruthiocamelorum deteriora. Optima ſunt recentiſsima, & peſsima perquam diu aſſeruata. Trometa, id eſt, tremula, & his minus cocta apala, hoc eſt, ſorbilia, & quæ confracta in aqua elixantur ad conſiſtentiæ mediocritatẽ, vel agitata in ſartagine cum oliuo,acetoq́;, vel omphacis ſucco ad mediocre craſſamentum friguntur, meliora ſunt quàm ephtha,id eſt, affatim cocta, & tageniſta, hoc eſt, ad craſsiciem frixa. Duris aſſiſq́;

ſisq́; præſtant pnicta ſeu ſuffocata, quæ in lance cum oleo, aut butyro ſupernè operculata in duplici vaſe, vel ſuper prunas coquuntur ad mediocrem vſque conſiſtentiam.

Lac ex tribus ſubſtantijs conſtat. Aſininum ſeroſa & tenui. Ouillum craſſa & caſeoſa. Bubulum oleoſa ac pingui. Caprillum nec pingue nimis, nec craſſum, ſed medium. Securè tamẽ non aſſumitur niſi melle, ſiue ſaccharo adiecto. Aut melle, aqua, & ſale indito, vt iubet Galenus lib. de euch. ne in ſtomacho coaleſcat. Bubulum Ariſtoteles dicit craſsiſſimum eſſe, 3. de nat. anim. iſtudq́; plus caſei habere quàm ouium lac, Aliabas autumat, 5. Theor. Porrò rerum omnium, quas cibi cauſa capimus, lac optimum optimi eſt ſucci. Eſt autem optimum quod à bono habitu præditis animalibus redditur, vt Galeno placuit 3. de alim. Statimq́; vbi prodierit ab vberibus adſumi debet, 7. ther. & lib. de euch. Nam celerrimè mutatur, niſi quàm minimo tẽpore in aëre moretur. Melca & aphrogala, argyrotophema, tum lactaria omnia frigidioris facultatis cibi ſunt. Pyraſtos purum lac cen-

ſetur

ſetur ab omni aliena ſubſtantia ſemotum. Lac coctũ craſsi abundè ſucci euadit, multoq́; magis ſi farinam triticeam, vel milium, vel amylũ cum eo decoxeris. Caſei omnes craſſo ſucco præditi ſunt. Recentes prauitate carent. Vetuſti improbo pollent ſucco. Inter caſeos melior eſt mollis duro. Rarus ac laſſus valde preſſo, atque denſo. Noxius admodum glutinoſus, & friabilis. Inter hos medius præſtantior. Guſtu ille optimus iudicatur, qui nullam vehementem qualitatem obtinet. Suauis item inſuauem præcellit. Et mediocriter ſalitus, permultum, aut nihil omnino ſalis habentem. Vtilior cuius qualitas poſt aſſumptionem paulatim emoritur. Contra qui diu in ſtomacho viuit (quod ex ructu cognoſcitur) minimè probatur, 3. de alim. lib. de euchy. 10. Simpl.

De partibus animalium extimæ ſunt excarnes, neruaceæ, cutaceæq́;. Ideo tenuiter corpus alunt, & expeditiùs per aluum elixatæ, lentoris ſui cauſa delabuntur. Pedes ſuilli magis quàm roſtrum probantur, ſed hoc magis quàm aures, quia ſola cute & cartilagine conſtant. Cartilago autem vel confici

non

non poteſt,vel ſi concoquatur puſillum alimenti præbet. Lingua laxa exanguis & exigui alimenti eſt. Glandulæ ſuaues ſunt,atq; laxæ, præcipuè mammillares, ſed maximè ſuillæ lactis plénæ, nec minoris alimenti ſunt quàm carnes. Renes & teſticuli mali ſucci ſunt,& concoctu difficiles. Gallorum duntaxat ſaginatorum teſtes ſuaues, & inculpatum corpori nutrimentum præſtant. Cerebrum pituitoſum, craſsi ſucci, tardi trãſitus, coctu difficile, ſtomacho alienum, atque nauſeoſum eſt. Vbi verò probè concoctum eſt, ſatis idoneum alimentum præbet. Spinalis oſsiumq́; medulla pinguis eſt, & ſuauior cerebro : ſed in reliquis ei ſimilis. Cor & hepar craſsi ſucci ſunt, difficulter conficiuntur, & tardè commeant : ſi coquantur, alunt multum, nec improbi ſunt ſucci. Cor & iecur ſuillum præſertim porculi cæteris melius. Lien praui ſucci eſt, & atram bilem generat. His pulmo mollior, rariorq́;, & tanto coctioni accommodatior, ſed minus alit, pituitoſumq́; dat alimentum. Ventriculus, vterus, & inteſtina vix concoquuntur,atque pituitam pariunt. Sanguis omnis concoctioni rebellis, præ-

cipuè

cipuè craſſus & melancholicus, qualis eſt bubulus. Leporinus vt ſuauiſsimus celebratur, mox ſuillus & caprinus. At edulium ex ventre caprarum pingui & ſanguine pleno, eo nullum reperitur, quod difficiliùs concoquatur, vt aſſerit Galenus, 4. r. a. com.112. Non adeò diſsimile eſt apexabo ſiue botellus, quo noſtrates per brumã frequenter vtuntur frictellato, vel ſuper craticula aſſato. Fit autem ex ſuillo inteſtino ſanguinis pleno, cum pingui admixto.

Ex viribus alimentorum differentiæ plures. Nam quædam operantur materia: alia materia & qualitate: nonnulla tota ſubſtantia. Materia operantur mera nutrimenta: materia & qualitate illa, quorum natura ex cibo & medicina commiſta eſt: tota verò, ſubſtantia vtraque. Quum enim nutritio ſit euacuati repletio, quod autem euacuatum eſt, ſimile, familiareq́; erat. Quare quod iam nutrit, adſimile familiareq́; ſit, hoc eſt, dulce, amicum, atq; conueniens ad augendam corporis ſubſtantiam neceſſe eſt. Hæc autem familiaritas à totius ſubſtantię proprietate oritur, 3.ſ. & 2. de alim. ſolaq́; experientia diſcerni poteſt, ſi Galeno & Aphrodiſeo credim

credimus. Non igitur mirum, ſi quæ tota natura ab alito diſsident, inſuauiter edantur, nulloq́; modo nutrire queant. Lingua, inquit Galenus, eſt organum, quòd naturæ ſimilitudines ac diſsimilitudines diſcernendi poteſtate pollet, quòd agnoſcens rerum naturas familiaria quidem eligeret, aliena verò refugeret. Alimenta mera appellantur, quæ alimenti tantùm rationem obtinent, vt quæ medij ſint temperamenti, nulla eximia qualitate prædita. Mixta verò ſeu medicinalia vocantur, quæ quidē nutriunt, ſed ſumētis corpus in qualitate immutant, primo de alim. manifeſtè ſcilicet: omnia ſiquidem nutrimenta corpus aliquo modo alterant, ſi omne agens in agendo repatitur, vt eſt Ariſtotelis ſententia. Sed alimentum merum minus, quàm medicinale alterat. minus item quod iam nutrit, & alito aſsimile eſt, quàm quod veluti nutrimentum eſt, & quod futurum eſt nutrimentum. Sic autem docēte Hippocrate alimentum trifariam diuiditur 3. de temp. primo nat. facul. primo de t.ſ. Ex quo lucidiſsimè apparet quomodo contraria contrarijs, & ſimilia ſimilibus alantur, vt Themiſtius &

Auerrhoes ſentiunt, 2.de anima.

Alimentorum præterea quædam incraſſant, alia extenuant, quædam verò media ſunt. Incraſſant ea, quorum materia eſt denſa, vel craſſa, vt glandes: glutinoſa, vt ſuilla caro: craſſa & lenta, vt triticum & oſtracoderma: his adde, acerba, & adſtringentia, & quæ ex præparatione frixa ſunt, aut aſſata. Contraria attenuant. Inſuper attenuare videntur dulcia, quæ abſtergunt, vt pruna Damaſcena in mulſo cocta, ficus, caricæ, amygdalæ, ſtrobili, piſtacia, ſaccharum, mel, aqua hordei, ipſumq; hordeum, & vinum tenue. horum igitur non vnica eſt differentia, vt liquet lib. de att. vic. & diſſol. cont. Incraſſantia illis duntaxat ex vſu ſunt, qui ob raritatem facilè inaniuntur, lib. de euch. & 12. ther. Illis item qui de mane vſq; ad veſperam in ſtatis negotijs deſudarunt: in quorum numero ſunt meſſores, foſſores, athletæ, primo alim. qui exercitijs augent calorem innatum, prima aph. com. 15. Ad horum nanq; ciborum concoctionem maximè facit ipſa totius corporis ex labore inanitio, & qui hanc ſequuntur, graues altiq; ſomni. Adde conſuetudinem, parcamq;

aſſumptionẽ. Conueniunt etiam illis, quos fames & indigentia preſsit, ſed modicè ſunt propinanda, ex Pauli conſilio. Et ſi verò fieri poſsit, inquit Galenus lib. de euch. vt integra valetudine ſemper fruantur homines bene temperati, ſuccorum amplas habentes vias, modò ante cibum ſe ſatis exerceant, & quantum ſat eſſe videtur dormiãt, qui frequenter craſsi, lentiq; ſucci cibos edant: ſecuriſsimè tamen facient, ſi his parcant; præſertim qui per ætatem & conſuetudinẽ ſe ante cibos exercere non poſſunt: & ſola ſanitate contenti, bonam corporis habitudinem non quærunt. Nam quo potentior quæque materia fuerit, eò difficiliùs concoquitur, & nutrimentũ cocta præbet durabilius, minusq; diſſipabile, quòd tardiùs tranſit cùm per ventrem, tum per venas: ob id plenitudinis & obſtructionis periculum habet adiunctum. Hinc liquet, quòd ea, quæ difficulter cõcoquuntur, tardeq́; penetrant, & maximè nutriunt, ad incraſſantia ſunt referenda. Talia enim adhærere debent, & firmiter adiungi: non autem præ tenuitate diffluere, vt docet Galenus 7. ther. Attenuantia craſſa extenuant,

 viſcoſa

viſcoſa incidunt, & abſtergunt, meatus aperiunt, longoq́; vſu ſanguinem ſeroſum, mox bilioſum, deinde atrabilarium reddunt. Idcirco aſſiduus eorum vſus fugiendus maximè eſt, quibus bilioſa fuerit natura. His verò ſolummodo congruunt, quibus pituita, & crudus humor cumulatus eſt, vt ſentit Galenus lib. de att. vic. & Paul. lib. primo. Hæc autem pauci eſſe nutrimenti, & nihil firmitudinis corporibus præbere, ex faciliq́; alterari, atque citò penetrare conſtat. Quæ etiam celeriter penetrant, exiguam corpori alimoniam largiuntur, quæ ex facili euaporatur ac diſcutitur, vt rurſus alia haud multo pòſt ſit danda. Appoſitio enim celeris non eſt diuturna, vt ait Galenus 3. de ca. pul. & ſecunda aph. com. 11, & 18. His tamen vtẽdum, vt iubet Auicenna 4. primi, quum vitalem virtutem deficientem ſubleuare, eamq́; excitare deſideramus: aut vbi ventriculus, vel virtus non perficiunt coctionem cibi tardæ coctionis. In illis quoque, quorum partes ob ſiccitatẽ ad trahendum nutrimentum infirmæ ſunt, ſequax alimentum, celeriſq́; appoſitio vtilitati exiſtit, teſte Galeno lib. de marco. Accedit quod Hippocrat

pocrates lib.de alim. ſic ſcriptum reliquit. Quicunque citiſſima adiectione indigent, his humidum remedium ad recuperandas vires optimum eſt: vbi adhuc citius per odoratum.

Iam mediæ materiæ alimenta ſunt ex quibus ſanguis optimus, vel ſaltem notabili aut euidenti vitio carens gignitur. Huiuſmodi enim eſt non craſſus lentus, nec tenuis ſeroſus, ſed conſiſtentia mediocris, vt tradunt Galenus lib.de euch.& Oribaſius primo Euporiſtôn. Vnde omnia mediæ alimenta materiæ, boni ſucci eſſe videntur. Non item econuerſo, cuncta boni ſucci, ſunt media: ſiquidem euchymicorum quædam ſunt incraſſantia, velut frumentacea, caſtaneæ, ſuilla caro, & lactea pleraque. Quamobrem ſi ſalubrium ciborũ duo ſunt capita, videlicet non impedire vias, & vitioſum ſuccum non producere, vt eſt Galeni ſententia lib.de euch. ſequitur quòd vniuerſa boni ſucci nutrimenta ſalubria non ſunt. Attamen euchymicis omnibus ætatibus,& naturis, omniq́; tempore vtendum: quoniam ſuccorum probitate nullum maius aptiusq́; ad tuendam ſanitatem admini-

culum inueniri poteſt, vel teſte Galeno 3. de alim. Cacochymicorum tres ſunt ſpecies, pituitoſa, biliosa, atrabilaris, lib. de diſſol. cont. De quibus obiter dubitare contingit: vitioſus'ne ſuccus ſit in cibi, vt innuit Galenus, an in ſumentis, aut cibati natura, veluti autumat Truſianus 2. ar. p. Quandoquidem ex eodem melle in iuuene bilioſo, bilis generatur: contra in ſene pituitoſo, non bilis, ſed ſanguis producitur bonus, vt fatetur Galenus primo de alim. Certè alimenta dapes'ue, humores haud habent innatantes, ſed in eoſdem innati caloris vi tranſmutantur. Sed raró cacochymicis & modicè vtendum eſt: nempe ad eorum qui in æſtate laborant ſqualorẽ humectandum & refrigerandum. Vbi etiam ventriculi os ſqualens, calidumq́; eſt, pomis, pyris, ceraſis, moris, peponibus, & perſicis vti licet: ſed modicè tunc manducari debent. Aliàs perpetuò ab omnibus, quæ malos ſuccos gignunt, abſtinendum. Etenim etſi talia quibuſdã coctu facilia ſint, ſiq́; concoquantur, minus offendant, lædunt tamen. Nam eſus continuatione prauus ſuccus ex ipſis poſt longum tempus in venis colligitur, qui

poſteà

posteà exiguam ad putredinem occasionem nactus, febres malignas accendit, vt prodidit Galenus 2.de alim.& lib.de euch.

Iam verò præfata alimenta suauia sunt, vel ingrata. horũ nullum corpori vtile, quod sapore, & odore ingrato veniat, si Galeno credimus 3.de alim. sic lingua agnoscẽs rerum naturas familiaria quidem eligit, aliena verò refugit. Nec tamen statim vtile est, quod sapore, odoreq; suaue existit, vt patet de pomis, pyris, melonibus, fungis, & boletis, quæ odore saporeq; iocunda, insalubria sunt, imò nonnunquam exitialia. Verùm de euchymicis certò constat, quòd quanto iocundius, suauiusq; fuerit quod comeditur, tanto fit magis nutriens: minoreq; negotio concoquitur. Quod etiam innuit Galenus 6.de t.s.& 2.de alim. Ventriculus enim quæ amplexatur, faciliùs concoquit. Amplexatur autem quæ cum voluptate assumuntur, sicut quæ displicent, refugit, 2. aph.com.38. Itaq; Hippocrates, parum veterior, inquit, potus & cibus suauior, melioribus & minus suauibus est pręferendus. Ex consuetudine nutrimẽta grata redduntur, sicq; minus nocere solent. Quod idem te-

ſtatur inquiens, Quæ ex longo tempore conſueta, & ſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſtare ſolent, ibi. 50. Ex præparatione etiam alimoniæ non ſolùm in melius mutantur, ſed & ſuauiores redduntur. Proinde quæritur,

An ſimplex cibus ſit homini vtiliſsimus, quo de ſic canit Horatius:

Accipe nunc victus tenuis quæ quantaq́; ſecum
Afferat. In primis valeas bene: nam variæ res
Vt noceant homini credas, memor illius eſcæ
Quæ ſimplex olim tibi ſederit. At ſimul aßis
Miſcueris elixa, ſimul conchilia turdis.
Dulcia ſe in bilem vertent ſtomachoq́; tumultum
Lenta feret pituita, vides vt pallidus omnis
Cœna deſurgat dubia? Quin corpus onuſtum
Heſternis vitijs, animum quoq; prægrauat vnà.
Atq; affligit humo diuinæ particulam auræ.
Alter vbi dicto citius curata ſopori
Mẽbra dedit, vegetus præſcripta ad munia ſurgit.
Hic tamẽ ad melius poterit tranſcurrere quondã,
Siue diem feſtum rediens adduxerit annus,
Seu recreare volet tenuatum corpus, vbique
Accedent anni, & tractari molliùs ætas
Imbecilla volet. Tibi quidnam accedet ad iſtam
Quam puer & validus præſumis molliciem? ſeu

Dura

Dura valetudo inciderit, ſeu tarda ſenectus.

Iſtis ſuffragari videntur Plutarchus 4. Symp. & Plinius 11. Nat. hiſt. c. 53. atque Macrobius 7. Saturn. Omnes etenim cibum ſimplicem præferendum eſſe multiplici aſſirmant, vt qui ſit digeſtu facilior. Sciẽdum tamen quòd ſimplex cibus piſtoria vel coquinaria mutatus in melius, congeneri cibo non apparato eſt vtilior, quum, vt prædictum eſt, ſimplicium ciborũ nullus præter lac, ſit ſalubris: quod & ipſum citra aquæ, ſalis, mellis, ſacchari've mixturam potum, magna ex parte in ventriculo cogitur. Et mihi hiſtoriæ Philoſtrati derogare videtur ſimplex Apollonij victus, qui vino parcens ſolis fructibus & plantis, hisq; potius ſyluestribus quàm ſatiuis veſcens, ſanus ſemper vixiſſe, & conſenuiſſe fertur. Simplex igitur cibus non apparatus omnino repudiandus eſt. Condîtus etiam per immodicam ſaporum varietatem, quæ naturæ non ſatiſfaciat, ſed voluptati, damnatur, cùm à præcitatis autoribus, tum à Celſo lib. primo, c. 3. Huiuſcemodi enim cibus ægriùs cõcoquitur duplici nomine, tum quòd eius varietas concoctioni aduerſatur, tum quòd eius

 plus

plus aſſumitur propter ſuauitatem. Propterea Galenus cupedias, opiparosq; apparatus tanquam cruditatis cauſas vituperat 2. alim. Etenim vt proſint cibi, non vt delectent curare debet Medicus: & voluptatem, ſi quando quærit, ſanitati eam cogit ſeruire. Quoniam in nonnullis (vt ait) magnum ad cruditatem momentum affert edendi inſuauitas. Hinc collucet, quòd varia ciborũ facilis & difficilis concoctionis eſt ratio: ſiquidem ægriùs cõcoqui poſſunt validè dyſcrata, quæ dura, craſſa, lenta, quæ plurimum nutrientia, quæ excrementoſa, quæ ingrata. Ediuerſo faciliùs coquuntur quæ temperata, quæ mediæ ſunt conſiſtentiæ, aut mollia, vel friabilia, non redundantia, quæ parum nutriunt, & ſuauia.

Concoctiones autem tres ſunt, & mutuò ſeſe excipiunt. Proinde cruditas, quæ in prima accidit digeſtione, in ſecunda haud corrigitur, quod notauit Damaſcenus in ſuis aph. Itaq; ſi cruditatis magna ſit vis, vt Galenus ſcribit lib. de euch. cùm ad malos ſuccos, tum ad morbos progignẽdos, ſiue ea boni, ſiue mali ſucci cibis ſuccedat (quamuis quæ ex malis cumulatur, deterior ſit) concoct

concoctionis maxima erit virtus ad bonos humores procreãdos, morbosq́; arcendos. Nec vllum maius adminiculum ad tuendam ſanitatem inueniri poteſt, ſuccorum probitate:3.de alim. Concoctionis demum tanta eſt vtilitas,vt loco præcitato Galenus affirmare non vereatur, illos nullum omnino morbum ſentire, qui prouidebũt, ne in cruditatem vnquam incidant.Prouidebunt autem qui frugaliter ordinateq́; viuunt , & exercendi corporis curam habent,vt idem ait. Frugaliter viuere eſt in cibi cuiuſque menſura non errare : ſiquidem in extenuatis & imbecillibus ſi quid minus quàm par ſit , nutriat , virtutem tabidam reddet. Si verò modum exuperet,naturæ potiùs oneri quàm nutrimento ſuerit , illamq́; penitus extinguet , & ſuffocabit , vt Galenus docet lib.de phlebotom.cont. Eraſiſt. Igitur non ſatiari cibis rectiſſimè iuſſit Hippocrates 6. epi.maximè verò varijs , & malè manſis. Etenim nihil magis concoctioni quàm ciborũ varietas aduerſatur,teſte Galeno.primo r.a.com.18. & 3.eiuſdem com.34. Cibi inquit diſſimiles turbationem in ſtomacho pariunt, hoc eſt nauſeam.com.in Polyb.videlicet

delicet ſi contrariæ eorum ſint facultates, vt interpretatur Paulus: quoniam non pariter eodem tempore confici poſſunt à naturali calore quamuis valido, ſed aliqui in cruditate cum ſemidigeſtis remanẽtes, ventriculum turbant ac onerant. Quocirca vitanda eſt vna in menſa, multiplex ferculorum varietas. Eſt etiam in ciborum permixtione controuerſia: propterea Auicenna prohibet tertia primi, ne lac cum rebus acetoſis, & piſces cum lacte ingerantur. Et Arnaldus, Vinũ, inquit, & lac ſimul ſumpta podagram generant. Caſeus cum piſcibus cholicam: pyra, poma'ue, cum ouis eſitata bilioſos flatus, ileorum dolores, hæmorrhoidasq́; inducunt. Inſuper Auicenna, qui vitam, ait, ſuam odit, cibos deglutiat ſine maſticatione, haud enim concoqui non probè commanſa poſſunt: ſed cibi particulæ quo fuerint minutiores, à nobis mutationem eò accipiunt faciliùs, vt ait Galenus primo.ſ. Quod & Ariſtoteles 2. de par. animal. pręnotauerat inquiens, Cibi illa minutatim diuiſio facit, vt calor faciliùs conficiendo expediat. Adde quòd alteratio quæ in ore per manducationem agitur, prima

concoctio

concoctio vocatur, prima primi. Mutat enim alimentum mansum in aliam speciem manifestè, quod demonstrat Galenus p. nat. vir.

Cur autem ἀπόσιτοι, saturati'ue fiunt celeriter, qui tiburcinantur, & voraciter edunt?

Causa in aëre non est, qui cum edulijs infertur propter hiatum rictus, & crebritatem respirandi, vt credidit Macrobius 7. Saturnal. sed potiùs in mandendi modo: siquidem quæ multa indigent commansione, si non bene mansa ingerantur, ventriculo grauia, & iniocunda redduntur, autore Aetio lib. 9. Ideoq; saturant celeriter eos, qui cibos vorant, nec cunctanter mandunt. Haud tamen ignoro etiam paucissimis illos saturari, qui adhuc suspirantes ab exercitijs, cibum assumunt, calore in eis nondum discusso, vt exarat Galenus com. in Polyb. Eadem ex causa non protinus ab exercitatione esurire incipimus, nec protinus ab exercitio, aut cathartico epoto cibus assumendus est, quinta prob. 28, & 30.

An maior antiquitùs quàm in sequenti ætate frugalitas?

Macrobius 3. Saturn. de luxurioſa Pontificum cœna meminit. Indeq; aſſeuerat maiorem priſcis ſeculis deliciarum curam fuiſſe, quàm ſuo. Extant etiam prodigioſę edacitatis exempla, vt de Herculis, cæterorumq; athletarum voracitate, apud Athenæum lib. 10. de Epheſtione, qui vno prandio arietem abſumebat, de Theagene, qui taurum, de Milone, qui carnium & panis x x minas, de Fornio, qui ſtrutiocamelum deuorabat, ſi vera narrant Plutarchus, Cælius, & Sabellicus. Magis tamen priſcos à potu & epulis gulæ appetitum temperaſſe innuit Galenus lib. de dyſcra. inæq. Rurſus 6. Aphor. com. 38. ętate Hippocratis, inquit, pauci podagra laborabant, propter vitę moderantiam. Noſtris verò temporibus, vſque adeò auctis edulijs, vt nihil eis addi poſſe videatur, infinita eſt podagrorum multitudo. Socrates, qui & ſapientiſsimus ab oraculo iudicatus eſt, ſe tantùm bibere ac eſſe vt viueret, dicebat apud Gellium. Sed vt prætaream philoſophos, apud veteres Romanos pultis vſus frequentior, quàm panis fuit, teſte Valerio. Et in frugalitate principum laudatur Romulus à Gellio. Cato cenſorius,

ſorius, M. Curius, & Alexander à Plutarcho, Scipio, & Maſsiniſſa à Frontino.

Porrò ordinatè viuere oportet, propter-eà quòd cibi temere exhibiti perturbãt, in morboſq; pręcipitant, lib. de cartha. Temere autem exhibentur, ſi intempeſtiuè, præpoſtereq; ingerantur. Intempeſtiuè quidem propinantur, ante exercitium. 6. epi. ante famem, conſuetamq; horam, tertia primi. Itaque vbi eſuries adeſt, haud differenda cibatio eſt inibi, quia fames bilem auget, vt dicit Plinius 22. nat. hi. ſtomachum malis replet humoribus, vt Auicennas loco præcitato. Intempeſtiuè item cibantur, ſi cibus iampridem ſumptus nondum deſcenderit, lib. de diſſol. cont. videlicet à ventriculo & ſuperioribus inteſtinis. Raſius 25. contin. iuſtam prandij à cœna diſtantiam octo horarum, cœnæ verò ad prandium ſexdecim eſſe opinatur. Quo fit vt valentius alimentum veſperi ſit exhibendum, vt Galeno placet 7. ther. Fit etiam vt cœna largior prandio eſſe debeat, quoniam natura concoctioni magis ſufficit in amplo, quàm in modico temporis ſpacio. Ad concoctionem etiam confert ſomnus à cœna factus. Verùm

rùm hac de re poſt Dinum & Conciliatorem ſpectatiſs. Doctores Turinus & Odus fusè diſſertauerunt. Galenus panem hora diei quarta ante balneum eſitabat, ea menſura, in qua ſex horarum ſpacio digeſtus, ſiue concoctus eſſe poſſet. Auerrhois duobus in diebus tribus tantùm vicibus cibare iuſsit. 6. collec. Quoniam non niſi in decem & octo horarum ſpacio tertia digeſtio perficitur, vt ſcribit 2. cant. com. 12. At præpoſtere edulia ſumuntur, ſi concoctu facilia, his quę difficulter concoquuntur, non præmittantur: & humida aridis, & lubricantia adſtringētibus, & quæ ex facili deſcendunt, his quæ tardè comeant, 2. alim. Eſt tamen vbi concoctu difficilia facilioribus præponat, propterea quòd ventriculi fundum calidius ſit, lib. de diſſol. cont. hæc enim parcè comeſta nō minùs citò concoqui poſſunt, quàm concoctu facilia, ſi affatim, ingluuioſeq; ingerantur. Præterea poſt paſtum nihil quod ad diſtributionem vehementiorem facit, ſumendum eſt: haud enim diſtribui tum, ſed concoqui, quæ ſumpta ſunt, eſt vtilius, ex ſententia Galeni 4. de t. ſ.

Cæterùm cibationis conſilium non ſolùm

lùm ab alimentorum præfata natura, ſed etiam à corporis ſtatu petendum eſt: quoniam detrimentoſa eius exſiccatio, conuenienti cibo, potioneq; penſanda. Quippe ſi magna fuerit, nutrimenti multum, ſin exigua, pauxillum capiendũ eſt. Si nutritio, inquit Galenus, ſit quod euacuatur repletio, oportet alimenti quantitatẽ eſſe eius, quod difflatur, quantitati, innatiq; caloris multitudini proportionalem: niſi fortè aliquando ex aëris qualitate fuſio adueniens cogat ſubtrahere, quod idem adnotauit prima Aph.com.15. Quibus ob denſitatem cutis nihil tranſpirat, cibo humidiori, tenuiori, exiguoq; opus eſt. Econtrario ſicciori, glutinoſiori, multoq; egent, qui ob raritatem facilè inaniuntur, lib.de euch. Temperata corporis craſis ſimilibus ſeruanda: dyſcrata verò vel ſimilibus ſeruanda, vel contrarijs in meliorem trãsferenda. Seruanda autem per ſimilia ſibi nutrimenta in his eſt, qui in rebus ciuilibus verſantur, & multis negocijs diſtringuntur, 6.de t.ſ. at in otio degentibus corrigenda, quinto eiuſdẽ. Non diſpariliter de ætate, quæ temperamentum immutat, cenſendum eſt. Nam ętatum tem-

peratissima, vti puberum & adolescentum: & humidior, veluti puerorum, similibus seruanda, quòd in alia temperie corpora increscere nequeant: sed quę florentium, senumq́; est, corrigenda, com.in Polyb. & 5. de t.s. Carnosis, mollibus, & rubicundis siccior victus maiori anni parte, ex vsu existit. Gracilibus, duris, rufis atque nigris, humidior. At ἐυσάρκους, id est quadratos, temperatos've, qui neque graciles, neque obesi sunt, diæta vti temperata decet, vt placet Polybio. Plethoricis minus cibi debetur, sed qui in qualitate sic medium teneat, vt neque calfaciat, neque refrigeret, neq; desiccet, neque humectet, quod quidem dici debeat. Item qui medius sit inter crassum & tenuem, lentum & friabilem, vt docet Galenus lib.de euch. Quoniam verò anni tempora corporis statũ immutant, vel Hippocratis testimonio 3.aph.& lib.de aëre, aq. & reg. iccirco non parum conducunt ad victus rationem inueniendam. Itaque hyeme plus appetunt homines cibi, & faciliùs concoquunt: quia tum ventres natura calidissimi, p.aph.15. tunc igitur plusquam alijs anni temporibus esse, & minus bibere conuen

conuenit. Edere autem oportet ac bibere cibos potionesq́; calfacientes exſiccãtesq́;, vt per tempus humidum, aridum corpus, per frigidum contrà, calidius reddamus, vt monet Paulus. Hyeme melancholicis ſiccisq́; eſcis vtendum, p. alim. Non tamen affatim, neq; ſæpe, præſertim his, quibus corpus atrabilario humori obnoxium eſt: niſi forte Galenus pro melancholicis cibis calfacientes & exſiccãtes intelligat. Vere paululum cibo demendum. Nam hyeme facillimè cibos ferunt, mox vere, p. aphor. 18. Adijcere potioni, dilutiusq́; bibere ſtatuunt Polybius & Celſus: & medij temperamenti epulas offerre ſuadet Galenus, p. alim. Quum enim ver in ſummorũ medio temperaturam habeat, p. de temp. mediã quoque victus rationem requirit: frigidiorem & humidiorem vt ad hyemem: calidiorem & ſicciorem tanquam ad æſtatem, vt idem com. in Polyb. exarat.

An verno tempore ieiunium ſalubre?

Tum calor innatus plurimus, cibus proinde plenior requiritur, p. aph. 15. Attamen in vere ἀβρωσίαν ſalubriter inſtitutam eſſe probare contẽdit Neocomenſis, lib. de r. ſ.

Nam eo tempore corpora carnes habent humidiores, ob pituitam ex hyeme coaceruatam. Atqui carnes habentibus humidas fames afferenda eſt. Fames enim ex accidenti corpora exſiccat, 7.aphor.58. Itaque quia vere pituita in corpore valentiſsima eſt, & ſanguis creſcit, ſuſcipitq́; in dies maius incrementum, vt perhibet Hippocrates lib.de nat.hum. Ad declinandum plethoram præcipit Auicennas 2.primi, cibos diminuere. Nec Galenus improbat morem illorum, qui vacuandi gratia, per ſingulos menſes ſibi indicunt vnius diei inediam, gloſſa in Polyb. Rurſus labor cibum præcedere debet, 6.epiſt. At laboris idoneum tempus in vere meridies eſt, 2.de t.ſ. Ex quo pateſcit, quòd à meridie pranſis nullum diei ſpacium pro cœna relinquitur, ſed poſt veſperam, primamq́; facem in concubijs erit cœnandum: nam Galenus 6.de t.ſ. ad concoctionem bucellæ panis ſex horarum tempus exigebat. Adde quòd ver, vtpote temperatum, vacuationibus aptiſsimum eſt. In quo etiam natura profundum corporis à vitioſis humoribus expurgare nititur, 3.aph.com.21. Sic corpora in vere vi-

res

res resumũt, & sunt fortiora, vt scripsit Aristoteles. Arte quoque sanguis aufertur, ne calor æstiuus repente superueniẽs eum diffundat, prima aph. com. 15. Hinc Hippocrates de sanis loquens 6. aph. 47. Quibus ait venæ sectio vel purgatio conuenit, hos vere purgare, vel venam incidere oportet. Cui suffragatur Paulus in verna victus ratione, pręscribens sanguinis missionem, vomitum & deiectionem. Quæ nimirũ bene valentibus multo plus incommodare quã ieiunium possunt, & abstinentia, quæ sola teste Celso, lib. 3. sine periculo medetur. Inedia quoque vniuersum corpus ex æquo inanit, ex accidenti. Per se enim priuatio quum sit, nec nutrire, nec inanire potest. Vt autem inedia vacuet, longum tempus desiderat, ob idq; periculosa existit. Nam longas inedias necessariò sequuntur virtus defatigata, succi biliosiores, & amarulentiores effecti, morsus cordis frequentes, inquietudines, vigiliæ, deiectiones suppressæ, ac breuiter omnia recrementa mordacia reddita, si Galeno credimus lib. de phleb. cont. Erasist.

An homini lethalis inedia?

Ante diem ſeptimum inedia lethalis non eſt, vt adſtruit Plinius 11.nat. hi. c.54. Sed Galenus loco præcitato exiſtimat nullum vnquam periſſe ob inopiam ciborum. Alioqui animantia, inquit, in latebris deliteſcentia ſine ciborum copia perdurare non poſſent, quemadmodum certè perdurant: etenim per deſidiam & torporem in quo verſantur, aſtrictamq́; cutem, nihil ab eorum corpore exhalat, quod cibo inſtaurari poſtulet, ſed raritas cutis euacuat. Quam ſi quiete & frigore denſaueris, nihil incommodi ex frigore expectandum. Sic quidam Venetijs vt narrat Alexander Ben. quadraginta diebus continuis ieiunus fuit, habitudine membrorum frigida, craſſo phlegmate intus & incocto, meatibusq́; corporis aſtrictis. Sed Cardanus admirabili vir ingenio, humorem melancholicum tam diuturnæ inediæ cauſam eſſe retur, quod non videtur conſentaneum, quoniam huiuſmodi ſuccus ſuo acore, ſeu ſapore acido appetentiam ſolet inuitare. Cur autem ieiunantes præcipuè infeſtat ſitis, Plutarchus explicat 6. ſympo. vnde pleraque mutuari videtur in ſuis cœnis Macrobius. Sanè ieiunium exſiccat,

exſiccat, ſitis autem eſt appetitus humidi.

Æſtate cibis demendum, ſed parum & ſæpe de his dandum, vt conſulit Galenus 1. aphor.com.18. frigidis & humidis elixisq́; vtendum, ac dilutiſſimè potioni adijciendum, vt corpus molle & frigidum ſeruetur, vel ne ſqualidum euadat, vt tradit Polybius, cui ſubſcribunt Galenus & Ægineta. Per autumnum cibo paulo pleniore, ſiccioreq́; quàm æſtate, minùs, ſed meraciùs bibendum eſt. Melancholicis ſiccisq́; eſcis abſtinendum.

Non diſpariliter potus ratio ex corporis ſtatu ſumenda etiam eſt. Meritò ſanè damnatur mos, qui olim fuit, vt ieiuni biberent, & potus vini cibos antecederet. Cuius meminit Plinius 14.nat.hiſtor.c.5.& 23.c.1. Cauſas affert, & explicat Conciliator differentia 118. Et viciſſim eſſe atque bibere in cibationibus præcipit, vt melior cibi & potus fiat commixtio. Nec inalienum fuerit peracta in ventriculo cõcoctione magnum ante cœnam hauſtum bibere, quo faciliùs ad hepar cibus illabatur, iuxta illud Salernitanorum, (tametſi aliter interpretetur Arnaldus, nempe de cibo liquido)

 A potu

A potu incipe cœnam.

Semper tamen is potionis modus esse debet, vt nec in ventriculo innatet potus, nec fluctuationis vllius sensum inuehat, si Galeni consilio credimus, 7.ther. Quare omnino repudianda ad symposiacam legem bibendi mensura: de qua retulit Crinitus, lib.de hon.disci.quòd prima cratera ad sitim & sobrietatem facit, secunda ad hilaritatem, tertia ad ebrietatem, & quarta ad insaniam. Hinc dictum Macrobij, cibus tacitos, potus loquaces reddere solet. Etsi verò famem vini potio soluat, 2.aphor.21. non tamen omnem, sed morbosam, nec eam, quæ ex inedia, alui profluuio, hæmorrhagia, aut alia euacuatione accidit. Qui enim ob aliquam id genus causam esuriũt, si vinum ante cibum ingeritur, conuulsionib.atque delirijs confestim corripiuntur, vt scribit Galenus in com. Potus igitur non famis, sed sitis remedium est, quæ est appetitus frigidi & humidi, vt definit Aristoteles 2.de animal. potus ergo actu vel potẽtia infrigidat & humectat. Iure ideò nullum animal calidos potus sequi, eosq; haud naturales esse dixit Plinius, 28.nat.hist. Potus

tus defert cibum per corpus, vt ait Ioannitius in iſag. Nec malè Eraſiſtratus humidum cibi vehiculum eſſe, apud Plutarchum 4. ſympoſ. teſtatus eſt. Potus præterea diffinitur ab euentis. Eſt enim liquor, qui ſitim ſedat, & manſas in ventriculo cibi particulas permiſcet, quas ad iecur & vaſa confectas defert. Igitur potus triplex : vnus alterat, alter permiſcet, tertius defert. Potus item vel nõ nutrit, vt aqua, lib. de bon. aqu. vel nutrit, vt vinum, 3. de alim. imò & pomatum, pyratum, ſorbatum, & zythum.

Aquarum quæ bibuntur quinque genera, cœleſtis, fontana, putealis, amnica, & ſtagnans, vt lib. 3. computat Aetius. Fluuialis & ſtagnina omnis mala, Nili aqua excepta, eodem atteſtante. Sed Galenus primo ſ. aquarum bonitatem à tribus ſenſibus æſtimat. Nam viſu ſyncera eſſe, ac perlucida, guſtu & odoratu nullam per ſe ferre qualitatem debet. Quæ citò calet & refrigeratur, leuiſſima eſt, 5. aph. non pondere lancis, ſed tenuitate partium : quia ventrem non grauat, & citò permeat, vt interpretatur Galenus inibi, & lib. de ptiſana. Sanè hallucinantur ſicut Valturio viſum eſt, lib. de re mili-

 tari

tari,qui imbrium aquam maximè probant, ob idipſum quòd leuiſsima ſit,vt quę ſubire potuerit,ac pendere in aëre. Hac enim ratione niues & glacies, quas conſtat imbribus eſſe leuiores, in aquam ſolutæ præferri deberent, quæ tamen & meritò repudiantur. Quòd verò cœleſti ſit fontana ſalubrior,iuſto volumine diſputat Turinus.

Cur autem puteana deprompta,ſi in eodem puteo pernoctet, frigidior reddatur, quærit Plutarchus 6.ſympoſ. ſed rationem non ſatis explicare videtur. An eſt, quòd aër noctu frigidior per antiperiſtaſim tepidiorem putei aquam in alto reddat? eóq; fit, vt deprompta ſit minus tepida & frigidior. Non mirum quod ait glareas, plumbiq; laminas in aquam iniectas eam frigidiorem efficere: quodq; magis mirum tacuit, nitrum videlicet,quod calidum apparet, frigidiſsimam reddere. Solet enim in aqua agitari ad Principum delitias, vt æſtiuo tempore frigidiùs bibant, quòd in hac vinum vaſculo demiſſum, impensè infrigidetur. At nitrum quo vtimur,veteres ignoraſſe Braſauolus teſtatur. Aquas camporum vt plurimum ſalſas eſſe, perhibet 2.de re

ruſt.

rust. apud Florentinum Democritus. Eas verò quæ in montibus sunt, aut imis ipsorum partibus scaturiunt, dulces. Nam sol campos per totam diem occupans humorem ex ipsis emulget, & in vaporem dissoluit. Quo fit, vt quidam campi penitus aquis careant. Verùm in quibus aliquid relinquitur, id salsum reperitur, leui ac dulci ex ipsius cõsumpto, ceu & circa mare contingit. Ac ibi Paxamus aquarum amaritudinem emendare docet corallio contuso iniecto, aut ordeo contuso & linteolo illigato in aquas posito. Mirum quòd aiunt Mosem aquas amaras dulces fecisse iniecta Rhododaphnes virga, qua comesta iumenta extinguuntur. Aqua corrupta emendatur coctione aut distillatione. Itaque distillatione ex terra vbiq; aqua haberi potest, vt sentit Cardanus. Est etiam aqua omnis melior cocta, quàm cruda. Nam & fontana, elixatione ad meliorem naturam permutatur, 6. epi. com. 4. nisi longiùs decocta salsa reddatur, 3. alim. Vitiosæ quoque remedium est, si decoquatur ad dimidias partes, vt asserit Plinius 31. nat. hist. c. 3. Quoniam calidũ heterogenea seiungit, 2. de g. & cor.

Aquis

Aquis inſalubribus bibendis etiam teritur, & inſpergitur pulegium. Ruel. Aquæ frigiditas æſtate non ſolùm iucunda, ſed etiam ſalubris paratur, ſic videlicet, in lagenis vitreis aut ſtanneis condita, vel argenteis, in malluuio aqua pleno, in quo halinitri libra diſſoluta ſit, & aſſiduè mota, immergitur. A glacie quoque impoſita, & à niue circum admota refrigeratur.

Vinorum differentias colligit Gal.3.r.a. com.1. ex colore, conſiſtentia, guſtatu, odore, virtute. Ex colore, album, nigrum, fuluum, flauũ, & rubeum. Conſiſtentia, aquoſum, tenue, craſſum, & horum medium. Guſtu dulce, auſterum, & horum medium, inſipidum, acre. At prædulce ſub vini natura non complectitur Ariſtoteles. 4.meteo. & 3. Problem. 24. quia non eſt aquæ ſpecies humidum halitum ſpirans. Proin ſuccum vinoſum, id eſt, ſaporem odoremq́; vini proprium non retinet, neque potentiam: etenim inebriare haud poteſt. Odore alia quidem boni ſunt odoris, alia non boni, ſed ferientem quandam & inſuauem nacta ſunt qualitatem: alia verò ſunt inodora. Facultate vel eſt polyphorum, oligoph

gophorum, vel medium. Ad multiſorum pertinent vinum vinoſum, ſumoſum, odoratum, aromatite, murina, id eſt, vinum myro ſeu odore condîtum, vt Pollux exponit & Hermolaus. Adynamon producitur Apiana vite, móſchatellum nuncupāt. Pauciſerum eſt quod vt bibatur, minima eget aquę permixtione. Huius generis eſt album. Vinorum enim alba nulla calida, 12.ther. nulla dulcia, lib.de euch. Fatetur tamen aliquod album vinoſum eſſe 9.de plac. Albo proximum ſubrubellum. Sed imbecillum quod cibarium vocant. Huiuſmodi eſt morale Theophraſti, 6.de cau.plant. quod celeriter purgatur & conſiſtit. Quod à vinaceis poſt primi vini expreſſionem diſtillat, Racemale nominat Aetius, lib.15. Lora lotis acinis fit. Poſca vel puſca lora eſt, vel oxycraton, ex aqua & aceto mixtura. Vinum muſcidum quod mucorē reſipit. Acidum quod coacuit. Vappa odorem ſaporemq́; vini amiſit. Fugiens in dubium, & in vitium inclinās eſt. Conſiſtens huic contrarium, vt retur Budæus. Ex tempore differentiæ ſunt accidentales, & non propriæ. Inde muſtum, antiquum, medium. Ex mu-

ſto

ſto conficitur defrutum, calenum, ſapa, ſeu ſireum, & hepſema, & mulſum, quod nectar vocant, vt inquit Ruel. Vinũ ſex menſium quod Auerrhois 6. collect. vetuſtum reputat, medium eſt. Aliter Galenus, qui vinum ſex annorum commẽdat, tanquam medium inter nouum & vetus, 7. ther. Strabo vini meminit, quod ad nonageſimum annum perdurat. Idq́; in vaſis minimè picatis 2, & 11. geograph. Vinũ vetuſtate fieri calidius Galenus affirmat 4. ſ. forſan quòd longa mora aquoſam eius partem aufert, ceu longiſsima ſaporem & odorem abſumit. Quo fit, vt vetuſtiſsimum non ampliùs verã vini naturã obtinere videatur. Quum pars potabilis reſoluta ſit, vinoſusq́; ſapor & odor euanuerit, atq; iam à proprio, quod ipſum ſuſtinebat calido ſit deſtitutum, vt rectè ſentit Conſalonerius. Vinum vetus tertio gradu calidum aſſeritur, ſi de generoſis fuerit, octauo ſimpl. mediũ ætate ſecundo: recens verò primo. Caliditati proportione reſpõdet ſiccitas. Sed nouellum Ariſtoteli magis calidum dicitur, atque frigido coagulatur 4. meteo. minus autem calidum Galeno putatur, quòd natum ſit ad gene-

randum

randum pituitam, com.lib.de nat.hu. Porrò inter omnia vina ſanguini generando accommodatiſsima ſunt rubra, & craſſa, mox nigra & craſſa, cũ quadam dulcedine. Dein rubra, nigra & craſſa aſtringentia. His minus, candida, craſſa, acerba. Minimè omnium alba tenuia. Craſſa tardiùs, tenuia contrà citiùs perficiuntur & diſtribuuntur, 3.alim.

Horum ſecurior vſus, hisq; maximè congruunt, quibus craſſus in venis humor collectus eſt. Si frigidus, acria & vetuſta conueniunt. Si non frigidus neutrum profuerit. Graueolentia & inſuauia odoratis contraria ſunt, quæ humoribus probis generandis potiora dicuntur, ſed caput tentant. lib.de euch. Quare diluenda per horulam antequã bibantur. Sic enim meliùs temperata & minùs flatulenta redduntur, iuxta conſilium Moſis ad Sultanum. Vina omnia vitanda, quæ vitiata ſunt aëre, vel fecula, vti vappa, muſcida, & fugientia. Hæc feci propinqua plurimum feruoris concipiunt, ideo officiunt capiti, vt ait Valeſcus. Quamobrem media vini pars præſtantior eſt, ſicut olei ſumma, & mellis infima. Quod de-

clarant

clarant Plutarchus 7.ſympoſ.& Macrobius 7.Saturnal. Κρᾶμα Celſo eſt diluta potio, ſiue vinũ copioſiore aqua dilutum. Loram Dioſcorides concedit ægris, quibus timet noxam vini,& à longa ægritudine ſe recolligentibus. Muſtum flatulentum, concoctu difficile & craſſum, hoc bonitatis habet, quòd ventrem ſubducat. Cuius ſucceſſu ſi priuetur, maiorem noxam potum adfert. Vinum vetus pluſquam par eſt, excalfacit, lib.de euchy. Medium igitur præcellit. Eſt autem omnino medium quòd intra quinquennale,& decennale exiſtit, 4.de comp. m.ſec.gen. quo per ſecula caruimus, niſi in vini ętate menſes pro annis cum Auerrhoë intelligamus.

Abſtinere ergo tam vetuſtorum potu, ſicut & nouellorũ nimis expedit. Illa ſiquidem plus quàm par eſt calfaciunt. Hæc verò nihil prorſus caloris excitãt, ac vix concoqui poſſunt. Tantum abeſt vt ciborum concoctionem adiuuent. Solaq; nouella ſalubriter bibuntur, quæ ſubſtãtia tenui prædita ſunt, vt ait Galenus lib.de euchy. Zythum & Curmi reliquosq; cereales potus flatulentos, maliq; ſucci eſſe Dioſcorides

memor

memoriæ mandauit lib.2. & Plinius 23.nat. hiſt. Cerealis quoque eſt, ſed minus inſalubris cari confectio. Quam pro abſtemijs Aetius deſcribit lib.16. Deniq; שֵׁכָר, id eſt ſechar, ſiue ſicera, ſecundum Diuum Hieronymum omne potionis genus compræhendit, quod inebriare poſsit bibentes.

De naturalibus inanitionis ſpeciebus. Deq; artificioſis euacuationibus ad tuendam ſanitatem neceſſarijs. Præterea de corrigendis ſtegnoſi, crepala, ſatietate, cibi in ſtomacho corruptione. Deq; plethora & cacochymia. CAP. IIII.

QVVM eſſe & bibere neceſſaria Animantibus ſint, has autem res ſubſequatur nutrimentorũ concoctio, & hanc excrementorum generatio. Quod verò aſſumitur, corpori non totum aſsimile fit, quod in confeſſo eſt, vt ait Gal.lib.de diſſolut.cont. Quamobrem natura non ſolùm excernendis excrementis inſtrumenta inſtituit, verùm inſtrumentis etiam facultates inſeruit, quibus incitata quædam ad ſe trahunt, quædã alijs tranſmittunt, quædam excrementa expel-

lunt: vt pote, primæ concoctionis excrementum per intestina excluditur: secundæ, quæ in iocinore fit, maior excrementi pars per vrinam, reliquum per lienem & fellis vesiculam eijcitur. Excrementum autem reliquarum duarum digestionum per halitum, seu insensibilem dissolutionem dissipatur, necnon per sudorem, & per illud sordidum, quod partim per meatus sensui apparentes, vt est nasus & aures, partim per eos qui sensum effugiunt, vt cutis pori, excernitur: quandoque verò per ea quæ sunt præter naturam, vt per abscessus diruptos, aut per id quod sponte ex corporis additamento oritur, vt sunt pili & vngues, vti refertur apud Galenū 1. de t. s. & Auicennam p. primi. Mulieribus itidem certo tempore salubriter effluunt muliebria, 5. aphor. 57. Quibusdam quoque viris præsertim hepaticis, hæmorrhoides magnam atræ bilis copiam effundunt: ob idq; securi redduntur à pleuritide, peripneumonia, phagedæna, furunculis, varis, lepra, vitiligineq;, vt testatur Hippocrates 6. epi. & lib. de humo. Itaq; naturæ opus coitus est, nullumq; ex naturalibus operibus nociuum est, vt lib. 3. ait

Aetius

Aetius. At venus confert, quũ corpus ætate florens 2. de t. ſ. calidum & humidum temperamento, 6. eiuſdem, in ſtatu medio eſt immodicę repletionis & inanitionis, caloris & frigoris, ſiccitatis atque humiditatis, interuallo repetita tam longo, vt exolutio nõ ſequatur, & ipſe qui vtitur ſe ipſo leuior eſſe faciliusq; ſpirare videatur, 3. ar. p. Vbi enim ſemine vaſa abũdant, abundant autem his, qui calidis & humidis ſunt teſtibus 2. ar. p. neceſſe eſt vt ſemen excernatur, vel in alienam qualitatem degeneret, quæ grauiſsima illa ſymptomata, inuehere ſolet, quorũ Galenus meminit 6. de lo. aff. vt ſileã quòd etiam morbis venus vtilis eſt, qui ex pituita procreantur, 6. epi. Alui quoque profluuia inueterata aliquando per venerem reſiccantur, teſte Aetio lib. 3. Coitibusq; primis plures morbos ſanari prodiderũt Hippocrates 2. aphor. 45. Scribonius, Celſus, & Plinius. Veruntamen præpropera venus præter naturam eſſe videtur, ex repentina, quam infert, corporis mutatione, vt ait Menapius. Etenim ex ſynephebis viros confeſtim efficit. Quod & Martialis indicaſſe videtur his verſibus:

Inde tragus, celeresq; pili, mirandaq; matri
Barba, nec in clara balnea luce placent.

Immodica etiam venus viris, omnibusq; nocentior eſt, nimirum deſiccat, & frigefacit, hoc eſt, facit conſeneſcere. Quod Ariſtoteles probat, lib. de lon. & b. vitæ. ſenectus enim ſicca eſt. Plinius in venere duos obiſſe patricios inter mortes repentinas commemorat, 7. nat. hiſtor. Mulieribus contrarium accidit. Nam ſi crebrò viris miſceantur, magis valent, vt ſcribit Hippocrates, lib. de ſem. genit. Harumq; venus æſtate eſt magis effera ſi credimus Heſiodo in Ergis.

—Flagranti temporis æſtu
Fœmineo Venus eſt vſu magis effera ſexu,
Mitior illa viris, & ſæpe accita relanguet.

In ſumma, excrementa ſingula ſi tempeſtiuè, moderateq́, excernantur, ſalubria ſunt. Si verò cohibeantur, vel moram in corpore diutiùs trahant, putreſcunt. Alia, vt inquit Galenus 3. na. vir. ſpacio breuiore, alia longiore. Quamobrem ea expedire & euocare idem docet, p. de t. ſ. per retentricis cauſæ contrariam cauſam admotam. Proinde ambigitur,

Num

Num ad tuendam ſanitatem euacuatione artificioſa opus ſit.

Nam illa motionis ſpecies,quę per pharmacum fit, ad ſanos non pertinere, poſt Platonem fatetur ipſemet Galenus p.de t.ſ. Sani, inquit Hippocrates, dum catharticis purgantur,citò exoluuntur, 2.& 4.aph. Sed hęc vt vera ſint,de bene valentibus dicta eſſe oportet, qui inculpatum corporis habitum habent, quiq; ſibi viuunt, & ante cibum corpus & animum exercendi, & cibi bene ſemper concoquendi curam habent. Alioquin qui conuenientem victus rationem non tenent, vel propter intemperantiam, vel negocia, vel eorum ignorationem, quæ fieri opus eſt, quantumuis ſani & bene valentes,à morbis tuti eſſe non poſſunt, niſi alui per interualla ducẽdi prouidentia, & potentioris etiam aliquando purgationis vſu, ſanguineq; miſſo in tempore, & opportuna medicamentorum potione, quæ concoquendi, attenuandi, abſtergendiq; vi polleant, vt lib.de euch. Galenus ſcriptum reliquit. Adde quòd plenitudo vtraq; in illis,qui res conſuetas adhuc factitant,per ſanguinis miſſionem euacuanda,

da,lib.de phleb. Quodq; ad præcautionem pestilentiæ sanguinis duas libras crus scalpendo Galenus sibi detraxit, vt memoriæ prodidit lib.de præsag.exp.confir. Idem aduersus varias imminentium morborum iniurias, vere phlebotomiam, vel purgationem sanis conuenire, cum Hippocrate affirmat, 6.aph.com.47. & lib.de cathar. Sed Auerrhoi 6.collec.minus placet, quæ quotannis in bene valentibus sanguinis missio aut purgatio, quàm quæ septimo quoq; anno suscipitur: quoniam raro, vt inquit, nisi certis circuitibus accidunt morbi, aut non longè ab ipsis. Ex quo, ad annos alludere climaterios videtur, quos Maternus 2.matheseos fatales homini, valdeq; periculosos dicit.

Itaque de his euacuantibus, quæ sanis dicata sunt, quædam aluum soluunt, nonnulla vomitum ciunt, alia vrinam prouocant, aliqua sudores mouent, alia menses ducunt, quædam ex æquo atque ex accidenti vniuersum corpus euacuant. Bene valentium etiam sunt, quæ leniter aquosam pituitam & muccos à capite vacuant, vti sunt apophlegmatismi, errhina, ptarmica.

Aluum

Aluum autem emolliunt de cibis mora, cerasia, pruna, persica præcocia, ficus, citrum, iuglandes virides & aridæ aqua maceratæ & pelliculatæ, amygdalæ, vuæ, mustum. Sed pruna in melicrato decocta, siue aqua saccharacea, abundè molliunt, & multo magis si melicratum subsorbeatur, vel vinum dulce superbibatur, siq; prandium non statim, sed aliquãto pòst interuallo inchoëtur, quod est commune omnium laxantium præceptum 2. de alim. Ad idem conferunt holerum iuscula multo & dulci oliuo condîta, videlicet maluæ, betæ, atriplicis, chaltæ, spanachię, borraginis, buglossi, brassicæ, thymi, hyssopi, mercurialis, vrticæ, cucurbitæ, foliorum lapathi, sambuci, ebuli. Liquor lenticulæ, liquor fœnigræci cum melle haustus exturbat omnes prauos humores in vijs intestinorum retentos. Radicula sola prima mensa sumpta ex garo, aluũ ducit, idem facit ius cochlearum, & concharum, & succus ostreorum potus. Ouaq́; sorbilia, & lactaria pleraq; omnia recentia cum melle vel saccharo, serumq́; lactis cum saccharo aut melle tribus ante prandium horis sumptum. Itidem præstat ptisana, in

qua pauxillum herbæ polypodij feruefactũ sit, similiter hausta: & myrobolanus vel siliqua Ægyptia condítæ, eadem hora comesæ, & quæ subscribuntur miscellæ.

℞. conseruæ florum violarum drach. iij. medullæ cassiæ traiectæ per setaciũ drach. j. scrup. muccaginis se. psyllij drach. scrup. misce. sumat drach. j. vel drach. x. ante pastum. Aliud, conseruæ prunorum & myxarum & florum borraginis aã. drach. j. mannę liquatæ in decocto radicis dulcis passarum & caricarum, dein traiectæ per cilicium drach. ij. misce.

Astringentia quoque statim à cibo exhibita, aluum præcipuè illorum, qui infirmo sunt stomacho laxant, velut sunt pyra, sorba, cotonea, corna, mespila. In hoc insuper congruunt enemata mollia, quæ ex relatis holerũ iusculis, luteo oui, saccharo & melle, vel ex solo hydræleo composita sunt. Sed siccioribus, gracilibus, ac imbecillis pinguiora, crassioraq; prosunt cataclysmata. Contrà plenioribus & humidioribus magis salsa, & tenuiora, vt vult Polybius. Balani ex saccharo, vel oui vitello cum sale, vel radice betæ oliuo liti, vel larido, vel sapone,

vel ex thymo cum melle crudo, vel ex hoc coćto cum ſale, vel nitro formantur.

Ventrem præterea clementer ſubducit terebinthina inſtar oliuæ per ſe, vel cum exiguo rhabarbaro à cœna hora ſomni deuorata. Ad idem pollet aloë trium cicerum magnitudine propinata. Sed de hora dubiè ſcribit Paulus: nam lib. primo à cœna aſſumere, & lib. 7. mane dare conſulit. Qui, inquit, veſperi aloen exhibent, aut ſecundùm cibum, noxam inferunt, quippe alimentum corrumpit. At verò diuerſum innuere videtur Nicol. Alexandrinus in ſuis comp. & Auicēnas 2. cano. Penthaleon & ſequaces.

Vomitum non conferre ei, qui proba victus ratione vtitur, Auicennas retulit, 4. primi. Sed his bene facit, quibus corruptio ciborum in ventre accidit, quæ ſponte in aluum non deſcendit, 6. de t. ſ. Et in cibi faſtidio, ob pituitam in ſtomacho redundantem, 3. nat. vir. & p. Æginetæ. Similiter in crudorum humorum curatione, qui ſoli infeſtant, vt docet Galenus: non item vbi laſſitudinis affectus cum præſentia crudorum humorum abundat, quoniam cauere in talibus vtrunque reuulſum oportet, & foras

crudorum, & intus mordacium, 4.de t.ſ. Æſtate vomitum indicit Hippocr. 4.aph. 4. & 6.bile ſcilicet redundante in ſtomacho. Celſus lib.p.cum hyeme procurat magis, quia ventriculus per id tempus pituita grauatus eſt.

Ad vomitum facilem citraq; moleſtiam excitandum cõducit ſecundùm Galenum & Polybium corpus excalfacere curſu, aut cita ambulatione, quo ſucci diffundantur, vaſaq; laxiora fiant. Sed craſsi ieiuni & medio die vomere debent potui ſumentes ſeſquicyathum decocti incidentis, vt eſt vomica potio ex radicula, quæ recipit elixationis corticis raphani vnc. v. oxymellitis vnc.j.propinetur tepida. Quæ enim tepida ſunt, ventriculi firmitudinem diſſoluunt, 8. ther. Primùm lentè, mox citiùs potandum eſt, vt tempore mediocri contineant potum, & tempeſtiuè ad vomitum excitentur. Etenim ſi initio bibant ocyùs, mox euoment, priuſquam expediat. Tenuiores magiſq; imbecilli à cibo vomitionem ita mouebunt. Loti calida, varias epulas aſſumẽt, vt plus ingeratur. Nanq; ſimplicia eiuſdem ſpeciei celeriùs implent, vel quòd inuicem

luctant

luctantia faciliùs vomitum concitant. Quapropter varium Polybius potum permittit, ex vinis tribus, austero, dulci, & acri commixtis: sed non statim post epulas, ne illæ mox supernatent. Sed de leuioribus, quæ vomitum proliciunt assumendis, est aqua tepida, cum oleo, vel aceto, vel succo ebuli aut sambuci pota. Ad idem valet decoctum phaseolorũ, aut seminis atriplicis, aut Anethi, aut rapæ, aut ceparum, aut floris myricę. Dę applicandis verò est fel pecoris cum amurca elixum, super vmbilicum infricatum. Post vomitionem dentibus opem fert, capitisq́; grauitatem leuat os & faciẽ abluere oxycrato, vel aqua, vt consulit Paul. & Auicen.

Vrinam cientia vehementer calida, sicca, & acria, quæ diuretica dicuntur, sanis non sunt ex vsu: sed ea duntaxat quæ moderatiùs per vrinam sanguinem expurgant. Qualia sunt de fructibus amygdalæ dulces & amaræ, strobili, cucumis, pepo, ptisana vulgata: Iusculum cucurbitæ, vel rapæ satiuæ cum feniculi vmbella coctæ, vel cicerum: Decoctum adianthi albi, polytrichi, reliquorumq; capillariũ, graminis, asparagij,

apij

apij ſatiui, crithmi, thymi, ſerpylli, aniſi, radicis cardui cum vino albo tenui & momento croci, & cinamomi hauſtum. omitto iulepum capil. ven. & reliqua medicamentoſa.

Hydrotica id eſt ſudorifica, quædam pota, quædam verò vbi vncta ſunt ſudorem mouent. In prioribus continentur milij, vel panci ex vino albo decoctum, & ſyrupus Diui Ambroſij. In his autem eſt, oleum chamæmeli aut anethi ſumma cute validè perfricatum.

An per ſudorem euacuatio in bene valentibus ſit naturalis? vt autumat Manardus, lib. 14. epiſtol.

Equidem reor quòd quanto fortius extiterit calidum innatum, tanto magis difflatio effugit ſenſum, vt Galeno placet. p. aph. com. 15. Quamobrem ſudores eſſe præter naturam Diocles credidit: quoniam omnibus quæ ad corpus attinent rectè adminiſtratis, & alimento à natura ſubacto, nunquam ſenſibilis humor per cutem excernetur. Quæcunq; enim in balneis, vel vehementioribus exercitijs, vel propter æſtiuum calorem deſudant homines, ex occaſioni-

bus

bus violentis originem habent. Igitur nec ſpontina, nec artificioſa ſudoris purgatio naturalis eſt. Niſi naturalis dicatur propterea quòd naturæ in morbis accommoda ſit.

Muliebria impellere poſſunt ea, quæ vrinam citant, vt ſentit Galenus quinto ſimp. & Oribaſius in med. comp. Huiuſmodi autem ſunt apud Dioſcoridem vinum aromatite, hyſſopite, dancite, abſinthite: vel radicis braſsicæ decoctum potui datum: vel folia erigerontis conciſa cum holeribus ſumuntur: vel puluis qui ſequitur, cuius doſis eſt ſemiuncia, nẽpe pulegij: vel nepitæ ex poſca, & pulegij, ex melicrato potus. Alius Capellæ recipit cinamoni caſsiel. añ. drach. j. ſileris montani vel calaminthæ ſcrup. ij. ſacchari drach. j. ſumat drach. ex vino albo.

Apophlegmatiſmi vel ore colluuntur, vt gargariſmata ex decocto glycyrrizæ, origani, & hyſſopi. Alia manduntur, vt piper maſtiche confuſum, vel ſola maſtix commanſa. Item vt Serenus canit,

Purgatur cerebrum manſa radice pyrethri.

Errhina liquida per rhinenchytem naribus infunduntur. Mitiora ex aqua maioranæ ſtillaticia fiunt, vel ex beta, ſampſucho

ex

ex melle & aqua elixatis.

Ptarmica ſternutamēta proliciunt, meatus narium aperiunt, ex accidentiq́; pulmonem & caput purgant. At ſanis facilè excitantur ſternutamenta, qui ſibi nares penna ſolicitant, qui'ue ſolem aſpiciunt, ob cauſam, quam explicat Ariſtoteles 33. probl. 4.

An balneum ſanis commodum.

Balneæ aliæ naturales, vt thermæ: quædam verò artificioſæ. Thermæ colorem, odorem, ſaporemq́; acquirunt: quòd intingantur à ſoli & foſſilium proprietate, per quod fluūt, vt ſcitè ait Vitruuius lib. 8. Non enim fortaſſe calidæ eſſent, niſi haberent vim aliquam medicamenti calidam, 6. de t. ſ. materialem ſcilicet, vel vaporoſam. Nec trahit vaporem euaporatio, quia clauſa perlabitur, vt ait Seneca 2. quæſt. nat. A metallis medicatiuam potentiam ducunt, quæ per ferrariam & ærariam exeunt. Ferroſæ & chalybatæ ſtomacho ac lieni ſunt vtiles, vt tradit Ægineta: fluxibus, vt Dioſcor. veſicæ vlceribus, vt Scribonius & Marcellus. Verū de his, deq́; ferri natura fusè diſſeruit Fumanelus. Aquæ quæ æris naturam occupant, ori, tonſillis, vuæ, & oculis præcipuè confer

conferunt. Quæ nitrum & salem obtinent, capiti, thoraci fluxione tentato, stomacho humentiori, hydropismo, & œdematibus sunt accommodatæ. Aluminosæ sanguinis reiectioni, stomacho vomitioni opportuno, fluxui muliebri vtiles sunt. Sulfurosę neruos emolliunt & calefaciunt, doloresq́; mitigant, stomachum verò eneruant. Bituminosę itidem corpus calefaciunt, & emolliunt, sed caput replent. In vniuersum, inquit Paulus lib.p. omnes thermæ calfaciũt, & desiccant ampliter. Ob idq́; non nisi frigidis ac humidis naturis, hisq́; morbosis & morbidis, potiùs quàm sanis conducunt.

Artificialia sunt aërea vel aquea, quorum partes quinque apud Plinium Cecilium in epistol. sed Galenus quatuor tantùm numerat, II. ther. Apodyterium in quo sese exuebant lauaturi, laconicum seu hypocaustum, in quo calidi vapores sudorem excitant, locus est concameratus, eo quo Vitruuius docet modo, lib. 5. Soliũ, labrum, vel scapha, in quo ad aquam calidam & frigidam descendebant: & post frigidæ vsum in postrema parte adhuc sudabãt, vt omnia ipsis excrementa citra refrigerationis no-

xam

xam vacuarentur. Aërea dicuntur, vbi aër qui calefit in hypocausto, per calidos vapores ex lignis succensis, vel lapidibus ignitis, vel feruenti aliquo decocto emergentes, sudorem euocant.

Laconicum inquit Galenus 10. ther. materias per totum corpus calefacere, & liquare potest: quæ inæqualia sunt æquare, & cutim laxare, & multa quæ detenta sub hac fuerunt, vacuare.

Aquea lauacra frigida vel calida sunt. Frigida aqua condensat, constipat, constringitq; quod excernitur, 2. simpl. Proinde corpori circunfusa totum refrigerat, cutẽ densat, & vires firmat. Nec nisi iuuenibus carnosis, qui victu accurato laboribus ac cibis, sicut expedit, vtuntur, hanc concedit Galenus. Calida balnea ex aqua potabili non solùm arte fiunt, sed aliqua etiam sponte nascũtur. Nam potabiles aquas calidas oriri in Magnesia affirmat Aristoteles, 16. probl. 24. Quæ fortassis calefiunt ignibus, quos multis locis terra opertos tegit, vt opinatur Empedocles apud Senecã 3. nat. quæst. Aut à calore in visceribus terræ à syderum lumine producto. Cuius generationi nec

terræ

terræ ſoliditas (quamuis illa luminis in terram impediat diffuſionem) obſtare poterit, vt ſentit Picus 3. cont. Aſtrolog. Galenus quoq;, quæ ſponte calidæ naſcuntur, aquas humectare innuit, 6. de t. ſ. de prædictis fortaſſe intelligẽs, aut de quibuſdam, quæ medicatæ ſunt, ſed modicè, propter multam cum illis aquæ dulcis copiā. Alioqui aquæ, quæ medicam vim aliquam præ ſe ferunt, omnes planè ſiccant, p. de t. ſ. Imò omnis aqua præter illam, quæ potabilis eſt, exſiccat, vt demonſtratur primo ſimpl.

Aqua porrò calida ſi feruida applicetur, adurit & claudit, 3. de t. ſ. Moderatè calida laxat, rarefacit, fundit, digerit, 2. ſimplic. Quapropter huius balneæ, quia duras tenſaſq; carnes emolliunt, excrementum putreq;, ſi quid intus ad cutim hæret, euocant, & ad apotherapiæ partem pertinent, 3. de t. ſ. Eoq; ſupplere vices frictionis ac exercitij poſſunt, 3. primi. & ſanare plethoram, 13. ther. Totum enim corpus æqualiter purgant, 4. aph. com. 2. quamuis ſolam ferè cutim exinaniant, 3. aph. com. 15. ſanant laſſitudines, in quibus ſimilares partes reſiccantur, & vacua humectantur ſpaciola, non

vtili & naturali humore, ſed tenui, acri, & mordaci. quippe humiditate ſua inſtrumentorum corrigunt ſiccitatem: & caliditate, tenuem atque acrem humorem eliciunt, 2.ſimpl. Quoniam verò corporibus nõ diu inhærere poteſt aqua, in hoc ipſum miſcetur oleum. Maximeq́; iuuat, ſi ex vtroque, id eſt, hydræleo, quis diutius fricetur. Optimum, vt inibi Galenus ait, exſiccatis, calidisq́; corporibus remedium. At optimum vnctionis tempus, eodem autore 3.r.a.com.53.eſt, nõ vbi qui lauatur ſudauerit, vel quum ſiccus adhuc eſt, couſeſtim vbi ſeſe exuerit, & prius quàm ſudauerit, vel horum neutrum fuerit: ſed vbi humeſcere cœperit. Sanis prçterea, quos purgare oportet, omnino conuenire dicuntur balnea, ante & poſt purgationem: ante quidem, quia materias præparant: poſt verò, quia diſſoluunt ſi quid derelictum fuerit ex humoribus, 4.primi. Qua de re diſputat Conciliator. differ.128.

Balnea inſuper non ſanis modò, verùm ægrotantibus etiam vtilia admodum ſunt, vt peripneumonicis pleuriticisq́;. Dolorem enim mulcent, ſputum maturant, educũtq́;,

3.r.a.

3.r.a. ſi vacuato ſcilicet priùs corpore admoueantur. Non vacuato autem admota membris affectis fluxionem pariunt, vt Galenus in gloſſa teſtatur. Idemq́; in comm. penult. Morbis, inquit, poſt concoctionem balneum ſine periculo conciliatur, hoc eſt, in declinatione: quandoquidem non niſi in ſtatu concoctio perficitur, 3. de criſib. Laudatur in ephemeris, in illis præcipuè, quæ fiunt à cauſa primitiua, maximeq́; in declinatione, 8. ther. Non perinde laudantur balnea, vbi de putredine metuendum eſt, ſicut in diarijs ex obſtructione, bubone, & cruditate. Hecticis vtiliſsima ſunt, 10. ther. Putridis item opifera, vt in tertiana pura & notha, concoctionis ſignis apparentibus, p. ad Glauc. Sic in cauſo cõducunt bilioſo, non item pituitoſo, 3.r.a.com.vlti. Nam bilis aliquid educunt, & ſua qualitate humectant, ac refrigerant, ſcilicet potentia, immiſſo intro madore calido, deinde ſpatio temporis ad natiuam frigiditatem redacto. In ſpuria tertiana non ſtatim à principio, vt in exquiſita, & cauſo cõueniunt, p. ad Glau. & 3.r.a. com. vltimo. quoniam bilem impuram nondum coctam ad cutem euocãt,

intus coquendam, obſtructionem'que augent. Atqui cauere oportet vtrunq; reuulſum & foris crudorum, & intus mordaciũ, 4.de t.ſ. Attamen in quartana conceduntur ante concoctionem, p.quarti, ſed ad concoquendum, id eſt, ad humorem atrabilarium humectandum, calefaciendumq́; moderatè, & quoquomodo attenuandum. In amphemerinis etiam ſed iam declinantibus balnea benefacere perhibet Auicennas p.quarti.

Ad ſummam, ſi nullum primæ notæ viſcus ſit imbecillum, & multitudo crudi humoris in venis non contineatur, ex balneis duo hæc febricitantibus compendia accedunt, & quod redundantiæ humorum aliquid euacuabitur, & quod multum febrilis caloris tranſpirabit. Modò citra horrorem ſint adminiſtrata: Horror nanque non ſolùm intendere præſentem ſebrem poteſt, ſed quum non ſit etiam excitare. Quòd ſi inferioris notæ partium aliqua ſit inualida, maxima ſalutis pars ægro ex balneis comparabitur, ipſis infirmis partibus, quæ ſuperuacanea ſunt, excipientibus, vt ſcribit Galenus 11.ther. Iure ergò in ſyncopalibus ſebribus

febribus ex crudorum humorũ copia, balnea aduersissima dicuntur, 12.ther. In illis quoque febribus, quas phlegmonæ accendũt, sunt formidanda, 10.eiusdem. Quo fit, vt non omni causo idonea sint, vt liquet 3. r.a.com.vltimo.

De balneandi hora scribitur, quod nullus confestim à cibi vel potus sumptione lauari debet: nam qui biberunt, his caput repletur: qui verò cibum sumpserunt, his non caput modò, verùm & corpus totum alimoniam ad se priùs, quàm cocta fuerit, trahit. Neque confestim à balneo sorbendum aut bibendum: sed sedata, quæ ex balneo est, turbatione, tum esse, tum bibere melius est, 3.r.a.com.57.& 58. Sunt tamen in quibus ante balneum esitasse aliquid est melius, 6.de t.s. nempe in illis, in quibus flaua bilis ebullit, 3.primi. At isti sex ante balneum horis simplicissimum nutrimentum esse debent. Cuius modus sit is, qui ante lotionem concoctus esse possit, vt docet Galenus loco præcitato. Ex quo elicitur, quòd sex ante horas, etiam pauca cibi quantitas, digeri concoquíue haud potest.

Verùm non abs re fuerit percontari,

quamobrem vires balneum euertat. An est, quòd per ea, quæ temperata sunt, quia grata existunt, funditur quod in nobis concretum fuerat. Quo maximè affectu voluptas animantibus constat. At si morã etiam trahant, sensim quoq; & ipsa molesta euadunt. Ad tantam enim fusionis immoderationem sic recidunt, vt substantiam nostram etiam digerant, dissoluant, atque dispergant, animiq́; afferunt deliquium, ac vires deijciunt, vt mors tandem sequatur: vt apud Galenũ legitur, 4.ſ. Exoluuntur etiam in balneo, cui ligna succenduntur vitiata, 2.aph.com.41. Aqua nimirum dum in caldario efferuescit, maligna lignorum candentium euaporatione inficitur. Huiusmodi ligna sunt taxi, buxi, nucis iuglãdis, truncus etiam fici ardens fumum reddit acerbisimum: & oleę termites in fomentis corpus mirè afficiunt, & balneis, vbi fomitum loco suburuntur, aduersantur, vt tradit Plutarchus 3.sympos. Ac ibi ex rebus paßim obuijs perspicuũ facit numerosas esse ignis facultates. Aurifices enim igne ex paleis conflato, aurum elaborant: pharmacopolæ accensis vitium sarmentis decoquunt pharmaca.

maca. Sic ad emolliendum vitrum, informandumq́; myricæ ramuli apprimè conuenire censentur.

Fiunt prætereà particularia non solùm ex aqua, sed etiam ex alijs liquoribus balnea. Nam si vomitus timetur ab assumptione cathartici, manus & pedes aqua calente multum mordenti imposuisse iuuat, vt docet Mesueus. Ad hypercatharses aqua frigida anum lauare, manuumq́; ac pedum extremitates aquę imponere præcipit Aetius lib.3. In quibus tamen complura per ventrem subducuntur, detrimentum adfert balneum, quòd superfluitates ad corpus vniuersum reuellat, atque hac occasione sistat, vt ait Galenus 3.r.a.com.60. Nec ad ventris solutionem Auerrhoi placet 3.collec. hæc medendi ratio.

In capitis affectibus irrigationes ad coronariam suturam applicandæ sunt, illas ex alto effundendo, ex rosaceo, 13.ther. frontis madefactiones ex oxyrhodino inibi. Embroca fit etiam ex vino Cretico, qua rheumatismis succurritur, apud Guai. Alia efficitur ex sumptuosa plantarũ, mineraliumq́; elixatione, in qua plurimum quæstuosi qui-

dam fuere: qua de Turinus vnico libello dissertat. Ad animi exolutiones apospongismi, faciei aspergines, ac inspersiones, ex aquis odoratis, aceto & vino, alijsq́; , quæ vires recreant. Oculorum dolores sedat lac iuuenculæ & boni succi, 4. κατὰ τόπ. Ad colicos olei ingressus. Aet. lib. 3. Item in balneum olei calidi eos demittimus, quibus pars quædam obstupuit, aut qui tremuli sunt, aut conuulsione, aut motus, sensus'ue oblæsione tentantur, 2. simpl. Sanguis vulpis calidus super renes, pectinem, & genitalia sæpiùs illitus, calculos frangit, teste Nicolao Alexand. Ex sanguine etiam humano excogitata sunt enchatismata, vt idem ait. Et apud Plinium 26. nat. histor. c. p. scriptum est, facta fuisse sellularia, siue insessiones, quibus elephantiasi laborantes subueniri putant.

Stegnosis, cutis'ue astrictio, sæpe plethoram inducit, quoties vaporosa & benigna materia de corpore effluit. Interdum febrem committit, quoties acris & mordax fuerit, p. de differ. fe. 8. th. & lib. de ca. mor. Nec contrarius stegnosi affectus noxa omnino vacat. Nam quorum rara mollisq́; cutis

cutis est, hi ab extrinsecus imminentibus malis facilè tentantur, sicut ab internis hi, quorum cutis densa, duraq; est. Itaque Oribasius 2.aph.com.49. putat graciles præter naturam, celeriùs mori, quàm qui obesi sunt, quòd in illis apertis meatibus ex nimia siccitate, omnis calor euaporetur. Alibi tamen contrarium innuere videtur, inquiens, Qui ex laboribus non ægrotat frequenter, is latentes poros habet apertos, per quos humana natura euaporat. Est autem stegnosis cutis vitium, quo transmittere superuacua prohibentur: quod incidit obstructis meatibus, aut densatis. Obstructio ex crassis lentisq; excrementis oritur, quum confertim ad cutim ruunt. Densitas verò ab his, quæ astringunt, & quæ refrigerant, 3.de t.s.& 10.ther. Densitudo, inquit, aliàs ex siccitate prouenit, aliàs ex frigore, eoq; simplici, vel cũ astrictoria vi. Sic aquilo corpora densat, 3.aph.17. Ex nimia quoque siccitate aperiuntur cutis meatus, vt patet de corio. Quod, vt inquit Oribasius, dum siccatum fuerit, transllucet: imbutum autem perfusumq; stipatur. Itaq; puerorum cutis sibi continua est: contrà senum: nam

in ea plurima nanciſcitur ſpiramenta, vt teſtatur Galenus 2. de temp. p. de t. ſ. & lib. de dyſc. inæq. Ex quo palàm fit, quòd ab eadem cauſa contrarij efficiuntur effectus: à ſiccitate videlicet cutis denſitas, raritasq́;. Porrò viſu & tactu cutis denſitas depræhenditur, 3. de t. ſ. Cui medetur rarefactio, 11. theria. quæ per calefactionem à vehementi exercitio, aut balneo calidiore efficitur. Item per relaxãtia olea illita, vti anethinum, chamæmelinum, & per alia huiuſmodi, quæ ſunt adſtringentibus contraria. Ad craſſos autem lentosq́; humores extenuans victus ratio apta erit, extenuãtiumq́; medicamentorum vſus. Vtriuſque tamen præſtat exercitatio. Hæc enim citra corporis noxam excrementa ſoluere poteſt, vt aſſerit Galenus p. de t. ſ.

Crepala ex immodica vini repletióne naſcitur: hoc enim nomen de omni noxa ex vino facta effertur, 5. aphor. com. 5. ſiue noxa fuerit cum dolore capitis, ſed mente conſtante, vt in crapula: ſiue cum delyrio, & ſine dolore, vt in temulentia. Eſt autem crapula feruor quidam & deſinens inflammatio, quæ plus conflictat quàm temulentia.

tia. Nam qui leuiter à vino tenentur, magis delyrant, quàm qui grauiter sese ebriarint, si vera dicit Aristoteles 3. probl. Plutarchus etiam discrimen voluit inter ebrietatem & ὄινωσιν, id est, vini pocillationem, seu vinositatem ex poëta ostendere, 3. sympos. & lib. de loquac. Vinositas quidem relaxatio, exhilaratio'ue est: ebrietas autem importuna loquacitas. Ex quo innuere videtur, quòd ebrietas non differt à temulentia, cuius initium vinositas est.

Ebrietas porrò, vt quibusdam placuit, non omni caret vtilitate. Imò interdum admittenda est, vt autumat Seneca, p. de trãq. vitæ. Modicè nanque inebriari aliquot diebus, maximè post aquæ potus, expurgat sensuum excrementa: ideoq; vtilis, vt censuit Dioscorides lib. 5. Cui Paulus lib. p. & Almansor lib. 4. & Auicennas 3. primi astipulari videntur. Nec abs re Mithridates bibacitati, edacitatiq; argenti talentum præmia assignauit, si credimus Athenæo lib. 2. Has enim res soli citra noxã ferre possunt, qui ex innato calore fortes, animosiq; existunt. Verùm nocet omnis ebrietas, & maximè assidua, vt inquit Dioscorides. Quod

ex

ex læsis actionibus potentiæ animalis in omnibus ferè sensibus satis apparet. Ebriosi sanè, & his magis inebriati mente delyrant: visu omnia circunferri, remq; vnam plures esse putant, lingua oberrant, & toto corpore tremunt, vacillant, titubant, 3. probl. Est etiam ebrietas frigidorum morborum velut apoplexiæ, epilepsiæ, sensus, motionisq; incommodorum causa, lib. de ca. mor. Et si ebrius repente obmutuerit conuulsus moritur, vt ait Hippocrates. Nisi febre corripiatur, aut vocem recuperet ad horam, qua soluuntur crapulæ. Quæ haud omnibus æqualiter soluuntur: quia varia est vinorum facultas. Nec vna est bibentium natura, sed diuersa, vt ex glossa Galeni colligitur. Itaq; ex potuum generibus, qui naturam habent inebriandi, primas partes tenet vinum, secundas aqua, tertias habet quod frugibus aqua maceratis fit, vt Leontinus apud Ruellium tradidit, & Florentinus 7. collect. rei rusticæ. Sed quæ à zytho fit ebrietas, deterrima putatur. Mox quæ à vino crasso deterior censetur. Rursus insana magis ebrietas, quæ in melancholicis incidit: quoniam vinum frigidos & siccos incendit, & humefacit,

ſacit,redditq́; mobiliores,id eſt,ſuperbos & inſanabundos. At mobiliores calore & humiditate diſſoluit,atque retardat,vt Ariſtoteli placet 3.probl.16.

Ebrietate detentis,inquit Paulus,repentinus vomitus præſentaneum auxilium aſſert, & à vomitu leuis inambulatio, ac extremarum partium frictio, reliquoq́; tempore, quies, ſomnusq́; ſub ſtragulo. Calidis naturis confert herba nerualis data copioſè, Largus. Omphacis ſuccus epotus, Valeſcus. Acetum aceruatim hauſtum, & braſſica comeſta, Florentinus. In minus calidis, mellitæ placentæ vtiles, & porrum toſtum ſi editur, vel radix ari, ebrietatem diſcutit, Ruel. Similiter cepa cum aceto in cibo ſumpta, Salicetus. Succus abſynthij cum melle, Syluaticus. Potio ex æquali menſura ſucci bryoniæ & aceti, Kiranus. Item potus vini cum momento floris draguntea crapulam ſtatim ſoluit, Sarrac. Liguſtici flos crocus & baccharis, odore ſomnos allicit, & ad placidam quietem potos perducit, Plutarchus.

Tædia odoris vini diſcutiuntur raphani ſucco manſo,vel iride, Ruel. ſed melius, calami

lami odorati radice commanducata, vel commanſo citrij, limonis'ue cortice, aut aniſi vel coriandrorum præparatorum ſemine.

At ſecuros præſtabit à temulentia, ſuccus bryoniæ cum aceto præaſſumptus, Kiranus. Betonica præaſſumpta, item crocum prius in paſſo potum, Ruel. Cruda braſsica præaſſumpta, Dioſcorides. Oleumq; ſorbitum ad arcendam vinolentiam valet, quòd vrinam ciere poteſt, vinoq; hauſto iter regit, Ariſtotel. 3. Probl. Nec ebrietatem ſentiet, qui ieiunus quinas ſenas'ue amygdalas amaras deuorauerit, Dioſcorides. His ſolis ebrietati reluctabatur Medicus, qui cunctos bibendi gloria antecellebat, de quo Atheneus lib. 2. & Plutarchus p. ſympo. meminere. Amuleta, gemmæ amethyſto à colore & non à viribus nomē inditum, ſi Plutarcho creditur loco iam allato. Geſtata tamen aduerſus temulentiam præſidio eſſe, à magno Alberto alijsq; aſſeritur. Itidem & efficax gemma Dyoniſias, Plinius. Corona è ramulis aiugæ facta, aut ex hedera, vel ex croco, Ruel. Nec inebriabitur, qui chamæpytios ramulis fuerit coronatus, Florent.

Vt

Vt autem vinum odio ſit, facit teſtudo in vino quod bibitur ſuffocata, aut vua marina cum vino pota, Myrepſ. Idem præſtat ſtercus pauonis, Sextus. cum vino bibitum, Brielius. Fimi leonis dauic ex vino potum, Raſes. Oua noctuæ per triduum data ebrioſis in vino, tædium eius adducunt, Philoſtratus, & Plinius. Vini deſideria tollet ſanies, quæ putatis vitibus emanat, ſi potui inſcio temulento fuerit adiecta, Floren.

Demum ad ebrietatem facilè ciendam quædam ſcripſit Galenus lib. de paratu facilib. Diuerſorum vinorum vſus inebriat ocyſſimè, Plutarchus 4. ſymp. Statim ebrietate corripitur, qui vinum bibit, in quo extincta ſit vitis viridis aut aridæ modicùm combuſta pars, Ruel. Fructus cuiuſdam meminit Herodotus lib. p. qui in ignem coniectus ebrios reddit odore ſuo circunſedentes. Idem præſtare videtur lolium in pane ſumptum.

Sed de potus repletione ſatis: nunc de ea, quæ eſt cibi & humorum diſſerendum. Omnis repletio duplex: vna ad vaſorum amplam capacitatem, altera ad illam quæ nos regit facultatem, lib. de plen. ſiquidem

contin

continens duplex: vnum vt vas, alterum vt conseruans, seu regens. Sic anima secundùm Aristotelem 7. polit. corpus continet. Vtraque repletio vel potus, cibi, vel humorum est. Cibi repletio satietas vocatur. Repletio ad vasa, quum ex immodica ciborum copia ventriculus distenditur. Ad vires effertur, vbi plus cibi ingeritur, quàm natura superare possit: vnde de cibo etiam modico, quem stomachus ob imbecillitatem concoquere non valet, satietas dici queat, vt innuere videtur Galenus 2. aph. com. 17. Quoniam verò satietas vel humorum plenitudinem, vel cruditatem parit, & consequenter morbum, vt adnotauit Galenus loco præcitato, & 4. de t. s. idcirco corrigenda est. Corrigitur autem vacuatione aut abstinentia: superflui enim cibi & potus adhuc recentis assumptio, euacuatione corrigitur, 3. ar. p. vomitu, si in superiori ventre compræhenditur: vel deiectione, si ad ventris imum descendat. Euacuatione etiã tollitur repletio, quæ propter cibos pridem assumptos in corpore existit, 4. aph. com. 41. hanc non fame, quæ ex nimia satietate haud idonea est, teste Celso, lib. p. sed inedia

dia concoquere vtilissimum erit. Satietas à cœna quam excipit somnus, deterior creditur, quoniã vaporibus caput replet: item quia non facilè vomitione excernitur. Ob id raró curantur, inquit Cardanus, qui assumpto veneno dormiunt, ante quàm vomant. Non dispariliter si alimenta in ventre corrumpantur, ea vomitu expellere, vel deiectione iubet Rases, 25. cont. & Celsus lib. 4. Cibus, inquit, si intus coacuit, aut computruit, quorum vtrumlibet ructus ostendit, eijciendus: protinusq; cibis assumptis euchymicis scilicet, & qui non facilè corrumpantur, stomachus restituendus. Eijciendus autem vomitione, non acrioribus, sed facilioribus ante cibum prouocata: vti tepida vini dulcis, aut pasi potatione. Aut deiectione spontina, si quod corrumpitur, in aluum descendat. Si verò nihil subducitur, exhibere ea consulit Galenus 6. de t. s. quę leuiter aluum mouent. Cuiusmodi sunt clysmi molles, & nostro seculo potiones vsitatæ, ex mercuriali decocto, ex calami dulcis atramento, manna, aloë, vel hiera simplici, & myrabolanis.

Est insuper humoris abundantia, quam

πλάδον Hippocrates & Galenus com.3.lib. de frac.ſolent appellare. Eſtq́; humorum repletio gemina: vna in quantitate peccantium, quæ plethora dicitur: altera in qualitate, quæ vocatur cacochymia. Vtraq; duplex prout vaſorum capacitatem intendit, & replet: aut vires quæ corpus regunt vitales, naturales, animales degrauat. Omne nanque quod plus eſt in corpore, confertur cum vaſis & viribus, 2.aphor.com.17. Omnis igitur nimietas, ſeu repletio eſt ad vaſa referenda, vel ad vires. Eſt autem plethora ſuccorum æquabiliter ſe habentium redundantia 2.& 3.de t.ſ.4. & 13.ther. Et tum æquabiliter ſe habent, quum vniuerſi vel iuxta priſtinam proportionem increuerint, vel exiguum quendam exceſſum vnus inter eos acceperit. Si quidem in plethora ſanguis vehementer poteſt excellere; aliorum humorum nullus, lib.de plen. Plethora eſt vbi ſolus ſanguis augetur, 2.de comp. med. κατὰ τόπ. Eſt vtilis & naturalis humoris repletio, 2.ſ. Ex quibus deſcriptionibus intelligitur, quod plethora continet πολυαιμίαν, id eſt, ſanguinis copiam, & εὐαιμίαν, id eſt, bonitatem, lib.de plen. Inibiq́; plethora

thora in quatuor distribuitur species. Rubicunda, inquit, sanguinis copia est, subpallida flauæ bilis: albescit supra naturalem habitum pituitæ, quemadmodum nigrescit atræ bilis. Verùm in singulis sanguinē simul esse coauctum oportet: nanque si sola pituita, pallida aut atra bilis superaret, non plenitudo, aut plethora, sed cacochymia secundùm Galenum vocaretur.

An in humorum proportione minus sit flauæ, quàm atræ bilis?

Si in ossium nutrimento magnam melancholiæ partem adesse oporteat, veluti censet Auicennas, & eius Commentator Apartibus p.primi, minus est flauæ: sunt enim ossa in corpore humano plura ducentis, hoc est, multo plura quàm partes, quæ bilioso aluntur sanguine. Nec obstat, quòd ossa nutriri medulla dicuntur, 3.nat. vir. 2. & 11.de vsu partium. Haud enim de vera nutritione intelligitur, quippe os à sanguine incrassato fit, p.nat.vir. Atqui eadem est materia augmenti & generationis, vt placet Aristoteli. Incrementum, inquit, quibuscunque secundùm naturam ex eadem qua constiterint materia fit, 8.de nat. & 4.

de g.animal. Secus humorum proportionem Aphrodiſeus ſic naturam ſtatuiſſe retur, vt ſanguis cæteris materijs omnibus eſſet largior: pituita locum teneret ſecundum: bilis flaua tertio loco haberetur: atra bilis ſortis eſſet poſtremæ. Idem Moſes 2. aphor.ſuorum ex Galeno confirmare videtur.

Cacochymia ex etymo ſuccorũ vitium ſonat,13.ther. Vitioſus autem ſuccus eſt,qui vſum aliquem naturæ non confert, aut illi præſertim ſui qualitate incommodat,vt colligitur 2.na.vir.& p.primi. Quo fit vt omnis ſynceri humoris redundantia cacochymia ſit,quoniam omnis humor ſyncerus præter ſanguinem malus, 2.prog.com.47. & ſanguis ſyncerus nunquam in venis compræhenditur, lib.de plenit. Atqui venas egreſſus nunquam in ſua natura permanet, 6. aphor.com.20.quod etiam primo libro de medica therosi annotauimus. Proinde cacochymiam rectè diffiniuit Galenus, quòd ſit vbi flaua bile,vel nigra,vel pituita,vel ſeroſis humoribus refertũ corpus eſt, 13.ther. Deterior autem euadit ex ſuæ ſubſtantiæ, vel qualitatis mutatione in peius,velut quũ

flaua

flaua bilis tranſit in vitellinã,& conſequenter in æruginoſam. Ex loci item mutatione nocentior fieri poteſt, vt quum ex ventriculo & primis venis ad hepar,& maiora vaſa permutatur. Ad cacochymiam qualitatis redundantiam referre videtur Galen.2. τῶν τόπων, quem ſequitur Oribaſius, p.aph. com.4.

An ad plethoræ ſpecies, qualitatis repletio pertineat?

Etenim ſanguis calidus vel frigidus,craſſus vel tenuis, plus iuſto fieri poteſt, ob pituitæ vel alterutræ bilis naturalis cum eo mixtæ incrementum. Eſt autem repletio qualitatis, quum ſanguis calidus vel frigidus, craſſus vel tenuis plus iuſto, minuſue eſt effectus. In quantitate verò redundat, vel deficit,vbi immodicè eſt auctus,aut minor redditus, 11.ther.

Plethora gignitur ex ratione victus incraſſante,cum ignauia,p.alim.ſi etiam corpus optimi ſanguinis modicè conſtipetur, breui plethoricũ reddetur, quum per ignauiam exercitationem neglexerit, lib.de ca. mor.& p.de diff.fe. Cacochymia alijs ex vitioſo cibo,alijs ex quapiam in ipſo corpore

corruptela & putredine producitur, 3. de temp. & 6. de t.ſ. Sunt etiam qui malos ſuccos natura colligunt, 4. eiuſdem. Humores item calidos, frigidosq́; fieri demonſtratum eſt, propter eorum quæ comeduntur, & bibuntur quantitatem, & qualitatem. Et ob plurimam animi & corporis motionem, & quietem, lib. de ca. mor. & de phleb. Cacochymiæ cauſa interna internarum partium dyſcraſiæ: externa verò ſumendorum, admouendorum, faciendorum, educendorum quantitas, qualitasq́; mala, 3. de temp.

Dignoſcitur quidem vtraque plenitudo notis ab eſſentiæ ratione ſumptis: nempe tenſione & grauitate, ſiue totius corporis fuerit plenitudo, ſiue cuiuſdam partis. Eius verò quantitas ex tenſionis vel grauitatis magnitudine definietur: ſed qualitas ex his, qui præceſſerunt cibis, & potibus, motu, & quiete, ſudore, vrina, corporis colore, caliditate, vel frigiditate, puſtulisq́; depræhenditur, 4. de t.ſ. Vtriuſque plenitudinis qualitatem partim è colore dignoſces, partim ex his, quæ humorum naturæ inſunt, lib. de phleb. Ex colore enim certiſsima cognitio datur: niſi ſe ſucci in altum recipiant, aut

in

in cutē violentiùs irruant propter ambientem aërem, aut animi affectiones. Ad hæc ſcire conuenit, quòd in otio degentes pituitoſum aceruare ſuccum ſolent. Et qui plurimùm ſe exercent, bilioſum vel melancholicum, illum æſtate, hunc autumno gignunt. Et quanto labores fuerint diuturniores, tantùm ad atram generandum bilem magis procliues. Qui cum multo ſudore obeũtur, hi craſsius excrementũ faciunt: qui ſine ſudore peraguntur, magis tenue, veluti qui hyeme & frigido aëris ſtatu ſuſcipiuntur.

Ex plethora diſtillationes, ſanguinis profluuia, arthritides, ſynanchæ, ophthalmiæ, peripneumoniæ, pleuritides, & reliqui affectus fiunt, quorum genus eſt phlegmone 5. de t.ſ. Ex vaſorum repletione immodica phleborrhagia, ſeu venarum diſruptio, & natiui caloris ſtrangulatio accidit, p. aphor. com. 3. Repletio huiuſmodi ſæpe in partes ingruit, ac tumores excitat, imò & apoplexias, venarumq; ruptiones molitur, lib. de phle. Quæ vires prægrauat plenitudo, in putredinem promptè incidit, & nonnunquam etiam in partes quaſdam impetu

aliquo decumbit, inibiq; tumores præter naturam efficit, ibidem. Omnino necesse est, vt secundum qualitatē trausmutetur, & processu temporis corrumpatur, 2.aphor. com.18. Nam humor à proprio calore non rectus, oportet vt ad putredinem transeat, 2.de diff.febrium.

Cacochymiæ symptomata phthiriasis, à cute squama abscedit, deciditq; cuticula externa: ad quam solent sisti crasi terrosiq; humores, à quibus psoræ, lepræ, & elephantes nascuntur, 11.simpl. Cacochymia ex accidenti mordicationes sanat: nempe salsuginosa vna secum educunt humores acres & mordaces, perinde vt cætera omnia quæ abluunt. Si verò mordicatione exasperantur, ab his quæ temperandi naturam habent, corpus vacuandum protinus est, 2.simpl. Quamobrem vtrique repletioni festina vacuatione opus est, siue in ægro siue in sano euenerit, lib.de phlebot.

An per sanguinis misionem?

In repletione ad vasa, quæ cum magni morbi futuri suspicione est, semper sanguis celeriter detrahendus, si per ætatem & vires licet. Item vbi intemperans in victu homo

mo fuerit, vel repletio ex craſſo ſanguine melancholico ſit orta, præſtat ſanguinem mittere, etiam abſente futuri morbi dubio. Si verò temperans fuerit, & nulla futuri adſit magni morbi ſuſpicio, per leuiora remedia vacuandum, vtpote, frictione multa, balneis, exercitio, & vnctionibus diſcutientibus. Nec in repletione ad vires ſemper ſanguis detrahendus eſt: fieri nanque poteſt, vt crudus per corpus ſit coaceruatus humor. Quo in caſu frictionibus potius vtendum erit, & mediocriter calfacientibus vnctionib. potionibusq; humorũ craſſitudinem incidentibus, nec valenter calefacientibus, lib. de phleb.

Plethora ſanguinis miſsione curatur, frequenti balneo, exercitatione, frictione, digerentibus medicamẽtis, & inedia, 13. ther. Interdum etiam citra ſanguinis detractionem plethora emendatur. Nam frictione, balneo, inedia, quæ tribus aut quatuor diebus fiat, ad id quod naturale reuocamus, 4. r. a. com. 20. Imò alij ſatisfacit inedia, alij cibi parcitas, alij ſoluta aluus vel purgatio, vel frequens balneum, alij ſola exercitatio, vel multa frictio abundè fuerit, 4. ther. præ-

ſertim ſi nullus inſtat, aut imminet morbus qui præſentaneum remedium exigat: nanque præſentium atq; futurorum vna communisq́; medendi ratio eſt, lib.de phlebot. Proinde diſtiguēda natura plenitudinis eſt, habitudoq́; & ætas hominis expendenda: tempus item,regio & aëris conſtitutio conſideranda, necnon quæcunque anteceſſerunt,quæq́; ipſum hominem etiamnum infeſtant ſymptomata lib.de ſanguinis miſsione cōtra Eraſ. Nec in ſingulis plethoræ ſpeciebus ſanguinis euacuatio æqualiter conducit. Probatur tamen in abundantia ſanguinis melācholici, lib.de phleb.& 3.de lo. aff. In ſanguine bilioſo, vt in ardentiſſimis febrib.& ſynochis,p.aph.com.23.& 9.ther. Itidem in ſanguine pituitoſo venæ ſectionem commendant Aliab. Nicolus, & Valeſcus,vtpote in omni reſolutione.His quoque ſanguinem mittere conſulit Galenus, qui facilè in epilepſiam incidunt, aut apoplexiam, lib.de phleb. Idem in copia crudorum humorum, pauco ſanguine vacuato, propomata extenuantia exhibet, dein rurſus alternatim ſemel & iterum ſanguinem detrahit, & humores concoquit, 4.de t.ſ.

t.ſ. & 12.ther. Sciendum autem quòd poſt venæ ſectionem cum magno damno adhibetur inedia: quare non vſurpanda, vt lib. contra Eraſiſtr. docet Galenus. Errant igitur multi, qui in luis venereæ curatione ſanguinē etiam copioſum detrahunt: mox valentibus catharticis purgant: deinde tenuem victus rationem præſcribunt, cum gauiaci aut radicum ſinarum decocto.

An plethora indicet mittendum eſſe ſanguinem?

A cauſa indicatio ſumitur, præſertim in curatione mixta, 2.aph.com.22. Ergo plethora indicare poteſt, dum morbi cauſa exiſtit. Item plethora ſanguinis miſſione curatur. Atqui omnis curatio per indicationem fit, 2.ther. Adde quòd ſanguinis miſſio ſuſcipitur, propter ſanguinis abundantiam, vel propter morbi magnitudinem, 4. eiuſdem. Denique Medicos illos ridet Galenus, qui nullam à plethora euacuationis indicationem accipiūt, lib. de plen. Idemq; Menedotum arguit, non quòd plethoram ſanguinis detractionem indicare diceret, vt credit Puteanus, verùm quòd in ſola ſyndrome plethorica venæ ſectionem admitteret:

teret: quum ea non existente sanguis salubriter mittatur, etiam in contrario affectu, nempe in hæmorrhagia reuulsionis scilicet gratia. Detrahitur etiam sanguis propter morbi magnitudinem, qui primus & maximè proprius est mittendi sanguinis scopus: quem adauget plethorica syndrome, id est, symptomatum congeries vtranq; plenitudinem demonstrans, lib. de plen. Virium autem robur, quando primum scopum non impedit, simul indicare, secundusq; scopus dicitur, lib. de phleb.

Cacochymia non venæ sectione, sed purgatione, quæ cuique superanti succo sit accommodata corrigitur, 13. ther. si qualitas vrget purganti vtendum medicamine, 2. τῶν τόπ. Est enim purgatio humorum qui sua qualitate infestant euacuatio, p. aphor. com. 2. Quæ etsi nonnunquam phlebotomiæ vices suppleat, in his videlicet qui ætatis vel virium occasione sanguinis detractionem non sustinent, quibus secundùm Galenum deiectio mediocris est adhibenda, 4. de t. s. non rectè tamen vice versa, pro purgatione vsurpatur sanguinis missio: quoniam per hãc æqualiter, seu promiscuè omn

omnium humorum,hoc eſt,cùm bonorum tum prauorum euacuatio fit,2.aphor.com. 17. Atqui ſi aliorum fiat euacuatio, & non eorum quæ corpora noſtra moleſtant,neq; confert,& grauiter ferunt,p.aphor.2. Vnde in cacochymia venæ ſectio haud conuenire videtur,niſi illa plethorę in venis ſit commixta. Nec omnis cacochymia ſanguini admiſta per venæ ſectionem vacuanda eſt: ſiquidem humores calidi, acres, & tenues quandiu in venis mixti ſunt ſanguini, latet ipſorum vis à ſanguinis bonitate ſuperata, vt ſcribit Galenus 4. de t. ſ. & poſt eum Aetius ſermone 4.

Veteres in ſanorum cacochymia curanda, vſi ſunt maleficis pharmacis: nempe ad bilioſam ſcammoneo,ad pituitoſam colocynthide,ad atrabilariam veratro. Sic, vt Gellius narrat, Carneades ſcripturus aduerſus Zenonis decreta, elleboro albo ſe purgauit, ne quid ex corruptis in ſtomacho humoribus ad domicilia vſq; animi redundaret, & inſtantiam vigoremq́; mentis labefaceret. Sed præſtiterit ab his quæ toto genere,vel ſpecie malefica ſunt,quæ & corpus ſeneſcere cogunt, abſtinere, vt poſt

Meſuem,

Meſuem, ſalubriter ſuis in libris, non ſemel conſulit ille polyhyſtor Do. Symphor. Campegius. Niſi ſi quando in magnis affectibus, illis prius omni ratione correctis, vtendum ſit, idq́; cum formidine, & præmeditatione. Mihi ſanè non placent malefica pharmaca edulijs commiſta, quale eſt vinum elleborite, apud Dioſcoridem, & apud aliquos de agricultura ſcriptores: nam venenoſa qualitate cibaria inficiunt, aut illa antequam concocta ſint, à ventriculo deturbant. Mirorq́; quod Aetius lib. 3. ea, quæ violenter purgant, cibis miſcere docet, videlicet ſcamoneum ſolidis, non item liquidis epulis, & veratri cremorem liquidis, vt iuſculis, non item ſolidis: atque his ad puerorum, ſenumq́; purgationem vtitur. Etſi verò in morborum curatione præſtantiſſima aliquando ſint in cibo medicamenta, iuxta illud Hippocratis 6. epi. ἐν τροφῇ φαρμακεῖν ἄριστον. Illa tamen ſanis haud conuenire videntur, niſi ex his quæ leniunt atque lubricant miſcella fiat. Galenus etiam 8. τῶν κατὰ τόπους alimenta medicamētoſa tanquam meliora, commendat.

De cholagogis benignis & ſimplicibus

ſunt, atramentum calami dulcis, manna, myxa, tamar Indorum, myrabolanus, citrea, rhabarbarum, ſuccus roſarum, & fumariæ, ſuccus violarum, ſerum lactis, muccago pſylli. De compoſitis, diamanna Meſues, diaprunum ſine ſcamoneo, Nicol. diacaſſia fiſtularis, ſyrupus de cichorea cum rhabarbaro, roſatus laxatiuus, ſyrus de myrabolanis citreis, confectio pſyllita, quæ recipit conſeruæ violarum drach. iij. muccaginis ſe. pſylli drach. ſcrup. atramenti calami dulcis drach. j. ſcrup. miſce.

Melanogoga, lupulus, ſumaria, adianthum album, borrago, bugloſſa, caltha, polypodium herba & radix, ſena & epithymum. Compoſita, ſyrupus de fumoterræ maior, decoctio epithymi, diaſebeſtem ſine dacridio, diacatholicum, & diaſenæ, ſyrupus noſter de filicula, puluis ſenæ imparatę.

Phlegmagoga, terebinthina, cnici ſemẽ, agaricum, turbit, cortex rad. cucu. ſyl. mirabolani kebulæ. Mel roſaceum Aetij, ſyrupus de agarico deſcriptione noſtra, ſerapium de turbit Raſis, puluis de turbit Auicẽnę. Cnici ſeminis drach. v. tritas mitte in ius gallinæ, aut ptiſanæ, & excollatum bibendum præbe.

be. Vel recipe internæ cnicis partis drach. j. tere cum amygdalis & aniso, & cum carícis fiant boli aut catapotia. Ad idem laudantur pilulæ Assaieret cum agarico, mastichinæ, de hiera cum agarico: alefanginæ.

Hydragoga syrupus ex nouem infusionibus rosatus, sympus de floribus persicorum, cum decocto soldanæ & passularum serapiũ ex succo foliorũ sambuci aut ebuli.

Sanguinem purgantia. Decoctio capillorum Veneris, & decoctio fumiterræ, Mesues. addit Aetius succum porri capitati, & mercurialem.

Ἐκκοπρωτικὰ sunt Aloë, & Mercurialis.

De motu & quiete, & varijs vtriusq; differentijs, in quibus frictionum genera explicantur, necnon salubris singulorum vsus. De viatorum ac nauigantium regimine. Deq; duplici laßitudine.

CAP. V.

NON quiuis motus est exercitatio, sed tantùm si quis voluntarius vehementior est: terminusq́; vehementiæ est anhelitus alteratio, 2. de t. s. Ex quo eos in otio viuere Galenus

lenus dicit, qui vehementioribus pro exercitijs pensiles lectos in vsu habent, & deambulationes, lib. de euch. Exercitationis differentiæ ducuntur à motu, efficiente, & gymnasio. A motu quidem dicitur velox, tarda, robusta, imbecillis, vehemens, & lenis. Item horum perpetuus motus est, aut intercisus. Si perpetuus, aut æquabilis, aut inæquabilis: si intercisus, aut certo ordine, aut citra ordinem. In æquabili non omnes partes simul mouentur, aut simul quiescũt, sed summa cum iusticia quædam vicissim mouentur, & aliæ vicissim quiescunt, ita vt illæ non nimis fatigentur, & hæ non penitus torpescant. Idcirco quæ inæqualiter corpus mouent omnia exercitia damnat Galenus lib. de ludo paruæ pil. Ab efficiente differentiæ sumuntur, quatenus à toto corpore, vel eius partibus, vel aliunde motus procedunt. Ad totum pertinere videntur hoplomachia, quæ in armis est dimicatio, pancratum quæ omni contentione fit pugna, pugilatus quæ cæstibus, gladiatoriæ item motiones, & quæ per corycum seu folles & pilam fiunt. Brachiorum & manuum propria sunt sciamachiæ, id est, vmbratiles

bratiles & ſimulatæ pugnæ:& acrochiriſmi,
qui ſummis manibus citra complexũ fiunt.
Per alteres etiam & diſci iactum brachia,
manusq́; fatigantur. Sic lumbos ſpinæq́; partes
exercet, qui aſsiduè ſeſe inclinat, ac rurſus
ſe reuocat. Thorax & pulmo per maximas
reſpirationes & voces exercẽtur. Crurum
labores ſunt itio, curſus, ſaltatio. Hæc
autem motibus & geſticulatione ea quæ
cantantur exprimit. Cuius antiquę tres ſpecies
apud Lucianum dialogo de ſaltat. ἐμμέλεια,
κόρδαξ, & σίκιννις. Muſculorum neruorumq́;
propriæ ſunt quæcunque voluntate
ſuſcipiuntur actiones. Quæ ſi maiore
vi & celeritate fiant, ex accidenti etiam arterias
exercent, cum quibus oſſa, venæ, carnes,
ligamenta, & cæteræ partes vnà mouentur.
Aliunde adſciſcitur equitatio, omnisq́;
vectatio, ſiue in curru, rheda, lectica,
ſiue nauigio fiat. A gymnaſio differentię
ſunt, exercere ſeſe ſub dio, ſub tecto, vel
in mixta vmbra: in loco calido, frigido,
vel media temperie: ſicco, humido, vel mediocriter
temperato.

Porrò omnis motus calefactiuus eſt, vt
dicit Ariſtoteles 2. de cœl. & mund. loca-

lis ſcilicet: vel quia adducit calefaciens, vt cœli motus aſtrum ſupra hemiſphęrium: vel quia per confricationem, aut concitatam medij diuiſionem fit. His nimirum modis calefacit etiam exercitium, & non per ſe, vt docti quidam exiſtimant. Per accidens quoque exercitiũ refrigerat, exciccatq́; natiuũ calorem atque humorem diſsipando ac reſoluendo, vbi modum excedit. Verùm eius tres ſunt commoditates, videlicet ex mutuo membrorum attritu ipſorum durities, genuini caloris augmentum, & ſpiritus con citatior motus. Ex inſtrumentorum duritia fit, vt ea minus ex labore afficiantur, & maius ad actionem robur habeant. Caloris augmentum ſequitur diducendorum in corpus validus attractus. Eorũ immutatio magis expedita, eoq́; nutritio magis fœlix, atque ſingularum corporis partium fuſio: cuius beneficio ſolida molleſcere, humida tenuari, meatusq́; laxiores fieri accidit. At ob citatiorem ſpiritus motum, expurgari meatus neceſſe eſt, & excrementa expelli, etiam citra colliquationem carnis, & ſolidorum attenuationem. Quæ incõmoda attenuanti victui, catharticisq́; aſſumptis ſuccedunt:

quorum meminit Galenus 2.de t.ſ. Vnde ſi licet à commodis exercitationis differentias colligere,duæ erunt præcipuæ: vna quę ad excrementorum inanitionẽ, altera quæ ad euexiam, hoc eſt, commodam corporis habitudinem conducit. Exercitatio acuta corpus tenuat: celer enim motus calorem plus ſatis augens corpus colliquat,vt ait Polybius de r. v. pri. Tarda craſſum reddit. multa corpus ſiccat.mediocris obeſum prę-ſtat, valida muſculis & neruis robur præparat. celer, robuſta,& grauis carnem denſat & emaciat. lenta, imbecilla, & leuis carnem auget,& rareſacit.inæqualis corpus fatigat,ideo curſus inſalubris. Nec ambulatio plana commodior, ſed melior eſt aſcenſus & deſcenſus, vt inquit Celſus lib.p.quum quadam varietate corpus moueat: niſi id perquàm imbecillum ſit. Itaque Ariſtoteles quærens cur æqualibus, quàm inæqualibus locis magis fatigari ſolemus,reſpõdet,quod minus laboris tum eſt, quum non aſſiduè habitu eodem mouemur, 5.probl.25, nimirum, inter omnes duos motus contrarios, quies interuenit, 7.phyſ. Plato reuocat indagandis diſciplinis intentos ad gymnaſti-

cam

cam exercitationem: quam diuidit in ſaltationem & luctam, 7.de legib. Vtraque enim ſanguinem ad exteriora euocat, qui per aſsiduas lucubrationes introrſum agitur.

Saltatio vtilis eſt: quoniam & oblectat, & corporis agilitatem, robur, vireſq; auget, vt affirmat Lucianus. In Timæo quoq; Plato præcipit ne animum ſine corpore, ne'ue corpus ſine animo exerceamus. Cui ſubſcribens Galenus conducentiſsimam eſſe exercitationem aſſerit, quæ non modò corpus fatigare, verùm etiam animum oblectare poſſit. Pręcipuè ſi omnes partes æqualiter mouere, & in ſummam vehementiam tolli, & in minimam motionem deprimi poſſit: qualis eſt paruæ pilæ vſus. His fortaſsis licebit addere venationē, aucupium, choreas, & ſaltationem, quæ non vtilis tantùm, ſed & olim ſi Luciano credimus, fuit honeſtiſsima: ita vt apud Philoſtratū Hiarchas & Brachmanæ Indorum ſapientiſsimi ſaltatione Solem conſalutarent. Dauid rex, in Dei opt. Max. honorem etiam ſaltaſſe 2. Regum legitur. At minus decens luctatio eſt, per quam confricatione corporis caro

calefit, duratur, & augeſcit, vt cenſet Hippocrates 2.de r.v. & Galenus lib.de ludo pil. Qui, inquit, in palęſtra laborant, ad craſſitudinem excitantur: multi ſiquidem craſſitiem adeò contraxerunt, vt vix reſpirare poſsint. Inde forſan fit bonus Athletarum habitus, p.aphor.3. Equitatio motus eſt mixtus, in quo non modò viſus, ſed & collum, ſpina, femora, cruraq́; laborant, & totũ corpus, viſceraq́; agitantur, 2.de t.ſ. Concitatior nocet oculis, 5.probl.13. Continua iunɫuris & pedibus, inutilesq́; homines ad venerem reddit, lib.de aëre & aq.& reg. Iſtis malis caret equitatio ſuauis, quam ſpiritus ſupra reliquum exercitationum genus corroborare, ſenſus purgare, acrioresq́; reddere ſcribit Aetius lib.3. ſecundùm quem vectio in curriculo vel rheda magis turbat humores quàm geſtatio. Hos etiam conturbat vectatio in ferculo, ſed minùs, ſi quis ſedeat facie ab itineris progreſſu auerſa. Hoc ſanè modo à fonte Bellenſi ad ſaltum Vicentiarum geſtare fecimus Britanniæ ducem infantulum ſemeſtrem, in cunis ſuper nutricis gremio geſtatis dormientem, anno ſalutis 1544. Nauigatio indicat turbari motione

tione corpus, 4.aphor.14. Eſt tamen commoda in ſalubribus ſaniſq; corporibus, quibus beneſacere cenſetur quòd vomitionibus illa purgat, tùm quòd validos animi affectus ſpei videlicet & timoris, angoris & lætitiæ inducat, qui commixti excutere omnem è corpore diuturnam ægritudinem poſſunt, teſte Aetio loco allato : neq; enim Ægyptus propter ſe petitur, vt inquit Plinius 30.nat.hiſt. ſed propter nauigationem.

An imbecilla pars exercenda?

Galenus tantùm ſenibus diſſuadet imbecillium membrorũ exercitium:ſed quanto quiſq; remotior à ſenio fuerit,tanto magis exercere debiliorem partem conſulit,5. de t.ſ. Exercitatio melior eſt ſub dio,quàm in porticu, Celſi ſentẽtia.Et in totum iuxta locorum per quæ exercemur proprietates, corpus noſtrum afficitur, ſi continens mutet contentum in ſuam naturam, vt vult Philaretus lib. pul. Exercitatio, quæ locis duris & renitentibus fit, muſculos & neruos, quæ verò mollibus & cedentibus locis articulos effatigant, quæ per accliuia loca, lumbis, quæ per decliuia, ſemoribus dolorem infligunt, 5.probl.37.

Tempus exercitijs accommodum eſt, quum præcedens cibus ventris & vaſorum concoctione, fuerit perfectè confectus. Cuius digeſtionis nota à lotio petenda eſt, 2. de t.ſ. Qui autem priùs aut poſteriùs exercitatione vtitur, aut crudis ſe implet, aut pallidæ bilis auget prouentum, 6. eiuſdem labor cibũ præcedere debet, 6. epiſt. vt per laborem puriora reddantur corpora: nam impura quo magis nutries, magis lædes, 2 aph. 10. Adde quòd peſsima omnis à cibo motio: ita enim è ventre diſtrahitur cibus antequam coctus fuerit. Ex quo crudorum humorum magna vis in venis colligitur, quæ omne morborum genus parit, lib. de euch. In iocinore quoq; aut ponderis ſenſus, aut diſtentionis, aut vtriuſq; facit, caputq́; vaporibus replet, 6. de t.ſ.

Vtendi autem ratio omnium exercitationis generum huiuſmodi eſt. Mane à ſomno peracto ſurgendum à lectulo, & molliter inambulandum, vt primæ ac ſecundæ digeſtionis redundantiæ delabantur ad inteſtina, & veſicam. Quibus expulſis, & quæ in faucibus & pectore redundant, ſcreatione & tuſsicula reiectis, manus, faciem, & oculos

oculos frigida lauare, & à ſordidis mundare, dentes colluere,& caput pectine ſæpius comere, calantijsq; fricare vtile, vt per poros vapores difflentur. Deinde frictione præparatoria vtendum, mox exercendum, ſed lentis ac debilibus initijs:ſiquidem non vniformis eſt naturalis animantium motus: ſed initio remiſsior, in medio fortior, & in fine languidior, vt diſſerit Ariſtot. 6.phyſ. Tantiſper autem laborandum,dum corpus intumeſcit, & color ille floridus apparet,& motus promptè, æquabiliter, & concinnè edit, ac ſudor cum calido vapore mixtus cernitur. Et tum protinus ceſſandum eſt, quum aliquod horum fuerit mutatum, ſecundum Galeni, Auicennæ, & Pauli præcepta. & ad apotherapiam frictionem feſtinandum. Eſt enim omnis exercitationis probæ peractæ poſtrema pars, quæ non ſolùm corpus à laſsitudine tutum reddit, ſed etiam quæ à labore ſuperſunt excrementa expurgat. Sanè conſpiciuntur exercitantibus foras effluere ſudores: tum intus in ventrem non pauca defluere excrementa, quæ veluti liquamina ſunt. Inde colligit Galenus 2.ſimpl.complura in corpore re-

 linqui,

linqui,quæ euacuationem expoſcant. Propterea frictionem recuratoriam adhibere iubet, & balneum : quòd ſimiliter duras tenſasq; carnes emolliat,excrementum puteq; ſi quid intus ad cutim hæret, euocet. Verùm hoc ſeculo ſeſe quiſq; plus occupatum putat,quàm vt poſsit tot rebus obeundis ſufficere. Itaq; fœlicis memoriæ parens meus, qui centeſimum ſuæ ætatis annum exceſsit, non niſi laſsitudine preſſus ſe fricandum præbuit.

Frictio præparatoria adhibetur,vt ſolidæ molliantur partes, humida ſoluãtur,ex exigui corporis meatus laxentur. Sicq; poterit adminiſtrari : Linteo circum ducto totum corpus calefit, mox nudis palmis oleo madentibus, corpus quoad abunde calefiat mediocriter fricatur, paucis ac leuibus circumactibus: eſt enim exigua inter mollem & duram frictionem media. At recuratoria velocibus efficitur, mollibusq; circumactibus,oleo largiter circunfuſo,vt tenſa remittat, & fatigata emolliat. Et quæ adhuc in meatibus cõtinentur retrimenta euaporet.

De cæteris frictionũ generib. Dura corpus ligat, vel cogit, mollis laxat aut ſoluit, multa

multa extenuat aut minuit, pauca contraria præstat, mediocris carnes augendi vim obtinet, vt apud Hippocratem ſcriptum eſt lib. περὶ ἰητρείου. Ex quo liquet quatenus frictio & ad reſoluendum valet, & ad aſtringendum, id eſt, durandum, ad implendum, ac minuendum. Itaq; Paulus quæ ſupra modum reſoluta ſunt, duriter perfricare conſulit, & quæ aſtricta, molliter. Et ſi corpus mediocre ſit, neque molliter neque duriter fricandum. Frictio ex oleo dulci, magisq́; ſicca laſsitudinem tollit, emollitq́; corpora, cohibens occludensq́; quidquid è nobis effluere eſt natum, haudquaquam digerens & exſiccãs. Et quę ex oleo fit frictio, ęqualis eſt: ſicca verò, inæqualis. Frictio ex hydrelæo auxiliatur ſiccis, ſqualidisq́; corporib. quia ex olei ratione diutiùs aqua adhæreſcit, 2. ſimpl. Mollit & non vehementer calefieri ſinit, vt ait Hippocrates lib. de diæta. Et alibi innuere videtur eſſe omnino alienum à Medici autoritate homines fricare. Ob id Aurelianus p. chronion, Aeger, inquit, reſumendus eſt aliptarum diligentia. Quod dictũ videri poteſt contra nonnullos medicos, quos non pudet gymnaſtæ, aliptę,

& mang

& mangonis officium ſubire, modò in eo quæſtuoſi fiant.

Poſtremò quum corpus exercitio laſſari, aut ſupra quàm conuenit digeri incœperit, quieſcere oportet, lib. ad Thraſy. mox eſſe, ac bibere, & à cibatione rurſus quieſcere, donec ventris & venarum cõcoctio abſoluatur. Moderata enim atq; ſalubris huiuſmodi quies eſt: reliqua omnis immoderata cenſetur, qua nulla eſt bonæ valetudinis maior peſtis, ſi Galeno creditur lib. de euch. Quemadmodum enim flamma fumo extinguitur, ſic natiuus calor quiete, vt inquit Auicenna prima cant. Ex omiſſo motu (vt interpretatur Auerrhois in com.) fumoſa ſuperfluitas augetur ſuper naturalem calorem, ex qua calor extinguitur. Iccirco non mirum, ſi ſedile ventrem opimat, ob cruditates congeſtas ſcilicet, & reliquum corpus extenuat. E' diuerſo motiones perfrictiones'ue, ex quibus videlicet calor innatus fit vegetior, ventrem extenuant, reliquumq́; corpus implent & augent: quod Ariſtoteles explicuit 5. problem. 14. Ad hunc modum labor articulis & carnibus conducit, vt exarat Hippocrates 6. epi. Nec adeò diſ-

ſimili

ſimili ratione his, quibus corpus floret, lien minuitur. Et quibus corpus minuitur, lien floret, & augeſcit, vt tradit Galenus 2. nat. vir. Appoſiteq́; fiſco lienem comparaſſe Traianus videtur. Sedile inſuper impensè calidos implet, frigidos autem & qui excrementis redundant, extenuat. Iſti nanque calorem ex mouendi ratione auctum deſiderant, qui cibos concoquere poſsit, & excrementa conſumere, vt docet Ariſtoteles 6. probl. primo.

Viator per æſtatem ardores vitare debet, leniter incedere, & baculo (qui tertius ſenum pes eſt, vt Heſiodo placet) inniti. Ardores autem vitabit, ſi veſte æſtiua corpus ita velet, ne inſoletur, ſiq́; caput tegat, leuiori aliquo amictu, vel myrti folijs aut vitis, aut polygonij, vt vult Herodotus. Exuſtiones quoque arcet cucumeris vel cucurbitæ taleola fronti appoſita, & geſtata. Nec æſtuant, qui duos pulegij ſurculos auribus impoſitos in ſole habent, ſi vera dicit Plinius. Iter non ſatur, ſed ieiunus arripiat, vel parum cibi ſumat, ne per motũ pedeſtrem, aut equitationem, ventriculus excalfactus de membris humiditatem attrahat: quod

cauend

cauendum eſt ſi credimus Gilib. Anglico.
Ab itinere quieſcenti conuenit thoracis & dorſi vnctio, ex oleo roſaceo, violaceo, vel nympheæ: cibus æſtiuus exiguus, & qui facile conficiatur, humidus magis quàm ſolidus: potio moderata, & poſt prandiũ ante arreptum iter quieſcere. Sitim in itinere arcet ſæpe ſorbere ex lagena anguſti ſyphonis vini albi, aut rubelli oligophori pauxillum. Vel, quod ſuadet Auic. tertia primi, pitiſare aquam cum aceto, vel in ore continere glycyrrizã, cryſtallum, alectorium'ue, aut pruna, ceraſia'ue acida ſiccata, vel hypo glottidas, quarum compoſitio eſt ad hunc modum. ℞. ſe. portulacæ, citruli decorticali añ. drach. j. tragachantæ drach. ſcrup. cum muccagine ſe. cotoneorũ & oui aquato fiant globuli. Aliud, conſeruæ acetoſæ vnc. iij. violarũ vnc. j. ſcrup. ſucci radicis dulcis puri drach. j. candi vnc. ſcrup. fiat condîtum.

Si verò immodico ardore noxam contraxerit, in locis auræ patentibus decumbere expedit, & faciem, manus, & crura aqua frigida rigare, ex Pauli conſilio. Neque ſiti vrgente ſtatim eſt frigida potio admittẽda,

ſed

ſed os perfundere frigida, hancq́; paulatim abſorbere cum interuallo, & perinde ſitim compeſcere oportet. quandoquidem ex labore ſudanti frigida potio pernicioſiſſima eſt, vt ait Celſus lib.p. Itaque Dioſcorides lib.6. Aqua frigida, inquit, abundè pota, aut meracum vinum liberaliùs potum à balneo, aut curſu, aut vehementi exercitatione ſtrangulatus & dolores infert: ſed phlebotomia aut purgatio imminentia ſoluunt pericula.

Ante hyemalem peregrinationem viatori ſiue pedeſtri, equiti'ue, vtiliſsimum erit corpus euacuare. Nam vlcera erumpent, ſi impurgatus laborauerit, pauendaq́; mala interuenient, ex præſagio Hippocratis 6. epid.& Galeni 3.aph.com. 21. Deinde corpus præmunire conuenit, antequam frigore capiatur:non modò veſtibus appoſitis & vnctionibus ex nardino, irino, coſtino, cum pipere vel pyrethro aut caſtoreo, ſed etiam cibis hyemalibus, cum exigua potione. Etſi verò labor cibum præcedere debeat, ex Hippocratis edicto, nihilominus Almanſor lib.6.& Auic.3.primi. iter agentem in frigore volũt ante migrationem plurimum

eſſe:

esse: fortassis propter id, quòd frigiditas ieiunos magis tangat, vratq́;, vt Herodotus scribit, sicut exustio repletos. Vulgatum quoque est ientaculum conferre aduersus aëris impuritatem: quod rustici ex pane cum allio, vel butyro, politiores ex tosti buccella panis cum vino vinoso, cretico, vel aromatico sumunt. Itaque secundum eos, qui de re militari tractant, in aspera hyeme sumendus est cibus antequam ad prælium descendant milites: quoniam ad frigus repellendum cibatio optimũ est remedium.

Qui iam algoris incommoda sentit, in loco calido, vt iubet Paulus, decumbat, vnctus præfatis oleis. Dein paululum iam calefacto aqua tepida facies, manus, & pedes, foueantur: & aliquid nucis moschatæ aut zinziberis condíti ex vino generoso, aut per se dandum. Ad ignem verò accessus nisi sensim fiat, læsionem perfrigeratis infert. Quod Galenus testatum relinquit lib. de dysc. inæq. his verbis. Dolent qui ex rigore ingenti vehementer perfrigerati celeriter seseexcalfacere properant. Multiq́; eorum, quum subitò ac simul manus igni admouerunt, ingentem circa vnguium radicem

cem ſentiunt dolorem : quoniam in radices ipſorũ neruus cum arteria & vena porrigitur, vt ait 2. de anat. admin. Huius doloris cauſam ibi reticuit Galenus, ſed non aliam eſſe existimat Portius, quàm ipſum frigus, quod vt contrarium calori renitenti contraq́; contendenti, pellitur in profundum ſubitò: vnde ex ea intemperie repentina comprímuntur partes, fitq́; ſolutio continui & dolor. Ariſtoteles etiam, 8. probl. 15. ſubitæ mutationi cauſam aſcribere videtur iuxta illud Hippocratis 2. de r.v.a. Omnis ſubita mutatio ſi modum exceſſerit, noxam inducit. Rurſus maximè inquit in nobis mutationes tùm naturæ, tum habitus potiſsimùm morbos pariunt. Adde quòd aliqui vehementer frigentes, qui ſtatim copioſo igne concaleſiunt, non modò dolent, ſed etiam in exolutionem, aut animi deliquium recidunt, quòd ab externo calore ſpiritus ſubſtantia externas ad partes prouocata, diſperſaq́;, & digeritur atque diſſoluitur. Commoda ad iter ſunt æſtate, equus aut mulus gradarius, eſſedumq́; Gallicum. hyeme verò equus ſuccuſſorius & lectica.

Nauigantibus ſi ob timorem incidat vo-

mitio, haud aſpiciendum ſalum his eſt. Si verò incidat, quia turbatur nauigatione corpus, in principio neque facilè neq; vtiliter arcetur: magna enim ex parte iuuare ſolet. Poſt quam exiguum boni ſucci cibum offerre oportet, ex ſimila, panatela, lente elixa, cui paululum pulegij adijciatur: ex perdicib. atagenis, capis, turdo, turture, columbis, ficedula: pane toſto vino redolenti infuſo, auellanisq; toſtis, coriandris præparatis, & cotoneato. Ad diuturnas & crebras vomitiones dantur cibi vehemẽter repreſſiui, id eſt, cohibentes & ſtyptici. Quales ſunt mala, & pyra, cydonia, maciana, punica, citria, limones, aurantia, & ex his facta propomata: ſyrupus de ribes & oxyacanthæ. Iuuat quoq; anum glandibus ſolicitare, extremas partes fricare, & ligaturas ſecundùm cubitos & genua, dolituras admouere, & ventrìculo ſicyas inanues, vnctionesq; ex odoratis & aſtringentibus, vti ſunt olea maſtichę, cotoneorum, myrti cum ſuccino permixta: quibus additur ambari & moſchi añ.gr.ij.

Aduerſus nauigiorũ graueolentias, mala, perſica, cydonia, thymus, pulegium, menta,

menta, ocymum odorari debent, quæ paratu facilia ſunt, & flores odoratos in manibus geſtare: quibus cur oblectemur multis explicare nititur Athenæus 12. dipnoſoph. De operoſis eſt paſtillus qui recipit ambari drach. j. xyloaloes drach. iij. moſchi ſcrup. j. camphorę. gra. xvj. Ambari ad ignem liquati reliqua puluerata miſcentur, poſtremò camphora additur, præſtat cæteris odoratis, cor, cerebrumq; mirum in modum recreat.

Mergus auis obuius naui velo nauiganti ſi ſubmerſerit ſe, tempeſtatē ſignificat naui: ſi verò præuolauerit, aut ſupra petram ſteterit, bonam nauigationem portendit, ſi Hirano credimus: nam augurium omne ludicrum vaniſsimumq; eſt.

Vbi mare infeſtum eſt ob balenas gregatim conuenientes ad prolificandum, remedium eſt nauigantibus caſtoreum dilutum aqua, & in mari effuſum, vt narrat Zieglerus, lib. de regionib. ſeptentrionalib. Nam hoc petitus grex balenarum totus repente diſsipatur, in profundumq; fertur.

Iam viatoribus pro cōmeatu priuato vtilia ſunt ἄλιμα καὶ ἄδιψα pharmaca, quæ ſa-

mem obrepere & ſitim prohibent: & quæ exiguo guſtu famem ac ſitim ſedant, conſeruantq́; vires: velut eſt butyrum, hypace, & glycyrrhizon, apud Plinium xj. nat. hiſt. Item catapotia ex adipe vaccino liquato qui ſumpſerit, longo tempore tolerabit inediam. Adipis quoque prædicti pondo, in oleo violato ad mellis conſiſtentiam diſſolutum, pro alimonia in decem dies ſufficere poteſt, vt tradit Auicennas 3. primi. ferunt Scythas duabus herbis duodenos dies durare in fame, ſitiq́;, hoc eſt, ſcythica herba & ſpartana. Hanc in ore habentes famem ſitimq́; non ſentiunt. Id verum eſſe teſtis eſt Plinius 25. nat. hiſt. & Ruellius.

Contra aquarum mutationes valet alliũ, Dioſcorides. & vitioſarum remedium eſt, ſi decoquantur ad dimidias partes, Plinius. Qui quonam pacto aqua marina dulceſcat docet lib. 30. c. 6. Sanè in maris littore ſemper aqua dulcis inuenitur, & in locis mediterraneis, vel qui maximè vmbroſi ſunt, vt ait Comes Purli. Aquis inſalubribus bibendis teritur & inſpergitur tritum pulegium. Earum amaritudinem emendat corallium contuſum, vel hordeum tritum linteolo illigatum

gatũ iniectum, teste Praxano apud Florent. Aqua salubrior fit, & in colorem vini mutatur, in qua intabuerit amaranthus, vel elixata fuerit radix oxalidis. Si verò aquæ misceatur pulueris nostri pauxillum, non modò colorem, sed saporẽ etiam vini concipiet, & longè salubrior reddetur, sitim famemq; sedabit. Puluisculus paratu facilis est, eoq; vsi sumus in illa fœlici Henrici Christianissimi Galliarum Regis expeditione, in Germania.

Ad securitatem itinerum gestatur adamas, sapphirus, hyacinthus, iris, iaspis, achates, episteries, molochites, quindrios, chelidonius, orchites, vt tradit Albertus. Turchica gemma, Mandeuila. vngula verbasci, Apul. dexter lupi oculus, Kiranus. cor vulturis, Sext. carduus, Apul. Artemisiam secum habentibus negant nocere mala medicamenta, bestiam'ue vllam, ne solem quidem. Alligatam qui habet viator, negatur lassitudinem sentire. Virgæ myrti gestatæ viatori prosunt in longo itinere pediti. Betonica altera animos & corpora hominum tuetur à maleficijs, & piaculis omnibus: contra peregrinationes nocturnas, itinera insi-

diosa, difficiles somnos commendata. Ex Musa & Ruel. Flos britanicæ collectus antequam tonitrua audiantur, & deuoratus, securos in totum reddebat milites, Plin. Idem præstat corallius lapis gestatus, & ceroneus, Alb. ceruinus. lapid. hyacinthus, serap. acathes, Plin. Nec fulmine icitur, si vera scribit Marullus, qui illud Ieremiæ mussitauerit, A signis cœli nolite timere, quæ timent gentes, quoniam ego sum Dominus Deus vester. Neque fulmine tangitur laurus inter arbores. Aquila inter aues. Phoca inter pisces, vt Plinius asserit, tria faciens fulminum genera. Quorum siccum non adurit, sed dissipat. Humidum non vrit, sed infuscat. Clarum tertium miræ naturæ. Nam mollibus intactis dura consumit: sed apud Senecā 2. nat. quæst. hæc sunt genera, quod terebrat, quod discutit, quod vrit. Apud Plutarchum fulmen respuit bulbus, ficus arbor & pellis hyenæ, 4. sympos. quia aduersam & fulminis ictum retorquentem vim possident. Addit Florentinus tergus crocodili & hippopotami. Refertq; terrestrem testudinem circum gestatam grandinē abigere. Præterea dormientibus fulmen parcere,

cere, & paliurum fulmine non ici narrat Ruel. Vnde vt colligunt, quod de cœlo nemo tangitur vbi ex istis vnum adest. Itaque nauiũ gubernatores vituli marini aut hyenæ tergoribus extrema vela muniunt, ne fulmine contacta deflagrent. Quod etiam non latuit Kiranum.

De his quæ tempestatem arcere dicuntur, & nauigantibus conducere, sunt lactuca comesta, Plin. pæonia gestata, Apul. smaragdus & cerauneus Lapid. achates & celonitides, Plin. epistrites, Alb. alchion auis, Kiranus. Qui autem à sydere percussi sunt, si asini lotio conspergantur, homines sanescunt, vt extat lib. de paratu fac. nanque solus de tanto vulnere restat homo. Solus etiã inter omnia, quæcunque momorderint canes rabidi, non periclitatur, vt asserit Aristoteles 8. de nat. animal. c. 22.

Cæterùm reliquis molestijs quæ viatores infestant, sic occurrendum est. Pediculos & lendes perimit, si partes inungantur cedria, vel hederæ lachryma, Dioscor. Eos abigit illitu allium syluestre, Ruel. hydragirium alligatũ, Valescus. Nuclei staphis agriæ triti phthiriasi caput & totum corpus liberant,

rant,Plin. Pulices arcet psyllium siue cony-za, Diosc. lupi pellis substrata. cimices in-terimunt folia filicis apposita, Ruel. Scolo-pendria suffitu,Hermolaus. Vnguentũ Cle-mentini lectulo illitum. Si rutę virenti ramo aquam per domum sparseris, nulli cimices accedent:aut si qui fuerint,abigentur, Me-rula. Culices galbano accenso fugantur,suf-fitu cupressi, melanthij, malicorei, lupino-rum, Plin. Si quis canabis humidæ ramu-sculos penes se dormiturus apposuerit, à culicibus non tangetur, imò nec à cimici-bus,Merula. Muscas necat lysimachia, Dio-scor. decoctum foliorum ebuli, Ruel. arcet suffitus ex vngula sinistra muli, Alb. abigit lapis gerachides,Lapidarius. Imò & assa fœ-tida in annulo gestata eas à manibus fugat. Scorpionibus aduersatur polemoniæ radix vel tantùm alligata,Ruel. Scorpius non fe-rit gestantem acidulam,Macer. Vt scorpius non accedat ad iacentes auellanam lectu-lorum pedibus alliga,Plutarc. Serpentes nõ recipiunt filicis folia. Ideo substerni suspe-ctis locis vtile est. Ab his non percutitur, qui præsumpserit allium,vel qui habent an-chusam alteram aut echium,Ruel. Vel qui

medul

medulla cerui illinuntur, Dioſcorides. Citrium comeſtum donec concoctum fuerit, hominem à ſerpentibus ſeruat immunem. Apes non pungunt perunctum aſparago cum oleo, Plin. nec maluam ſecum habentem, Macer. A veſpis non icitur ſylueſtris maluæ ſucco perunctus, Ruel. Canes non adlatrant folium arnagloſſæ ſub pollice pedis detinẽtibus, Kiranus. vel leporis fimum aut pilos habentibus, Plin. vel habenti muſtelæ caudam, Aelianus. Eorum impetum timentibus nerij radicem collo circundato, Galenus. Canum incurſus hyenæ lingua impeditur, Gillius, & Ruel. A ferarum morſibus ſecuros tutoſq; reddit adamas ſiniſtro lacerto adaligatus, Alb. Artemiſia collo ſuſpenſa, Macer. Leonis adeps corpori illitus. Plin. Cor vulturis geſtatum, Idem.

Κόπος id eſt, laſsitudo duplex, à cauſa externa & interna. Prior triplex, vlceroſa, tenſiua, phelgmonoſà. Vlceroſa celeri ac multo motu efficitur, maximè in cacochymis, in quibus excrementa craſſa funduntur, & attenuantur. Eoq; tenuis & acris humor veluti pungit, ac vulnerat tantùm cutem, tum carnem. Aliquando etiam in bo-

ni ſucci corporibus incidit, ob nimiũ exercitationis modum, adipe aut molli carne liquata. Tenſiua his incidit, quibus ſalubris ſuccus eſt, poſt robuſtas potius quàm celeres exercitationes, per quas in muſculis & neruis tenſio vehemens efficitur, in qua omnes muſculorum fibræ tenduntur. Non tamen omnes ſimiliter laxantur, ſed hæ maximè, quæ per longitudinem tenſionis porriguntur. Phlegmonoſa ex vehementiſſimis naſcitur motibus, inuaditq; eos, qui exercitationibus aſſueti non ſunt, alios rarò. In hac ceu contuſas, aut phlegmone obſeſſas partes ſentimus. Et tum maximè ſolet incidere, quum muſculi nimium excalfacti attraxere quippiam ex circunfuſis ſibi excrementis. Solaq; ſupra naturalem habitum muſculos attollit. Quod ſi tendonibus & neruis incidat, oſtocopos dicitur, ob penitiorem ſenſum partibus quæ in alto ſunt, nomen tribuentes, vt ait Galenus, 3. de t. ſ. Ex quibus pateſcit quòd in laſsitudine duplex ſit affectio, vt idem declarat 2. ſimpl. Nam ſimilares partes reſiccantur, & vacua humectantur ſpaciola, non vtili & naturali humore, ſed tenui acri, mordaciq;. Eſt &

quarta

quarta affectio, quum videlicet musculi vltra quàm expedit nimia exercitatione siccantur. Ita vt si nudentur corpora, & squalida & collapsa videantur, & ad motiones pigra. Quæ tamen lassitudo non est, quòd neq; vlceris, neq; tensionis, neq; phlegmones affectũ præseferat. Nullaq; lassitudo nisi magnitudinem & moram notatu dignam habuerit, totum corpus vitiare potest, lib. de ca. mor.

Lassitudinis medela quies. Nam in omni corporis motu quum fatigari incœpit, quies statim lassitudinem aufert, 2. aphor. 48. Lassitudo lassitudine soluitur, quum videlicet externis exercitationib. pares postridie adhibendas videtur expediens. Vlcerosæ remedium est, eorum quæ redundant euaporatio. Euaporatur autem frictione multa ac molli, cum oleo dulcissimo, quo copioso cum frictione vtendum: præcipuè in his, qui in cute, & sub cute excrementorum collectam vim habent. Discutiuntur etiam quæ redundant exercitatione, quę apotherapia dicitur. Maximè si in musculis congesta fuerint. Etenim in his coacta excrementa sola frictio educere non potest. Ten-

ſioni χάλασις id eſt, relaxatio contraria eſt. Sanè remittitur quod tenſum eſt per exercitationem eſt, frictione pauca ſimul & molli, ex oleo dulci, tranquillitate, & requie, balneis temperatis, & longa in aquis calidis mora. Et ſi bis ter'ue lauetur, & à balneo vngantur, plus proderit. In phlegmonoſa ſanationis conſilium ad tria dirigitur: nempe ad excrementi euacuationem, tenſi remiſsionem, & ardoris refrigerium. Oleum ergo copioſum & tepidum, cum frictione molliſsima, & longiſsima in aquis temperatis mora huiuſmodi fatigationem emendat. Item multa quies, & vnctio aſsidua. Deniq; omnia quæ id, quod laxatum eſt, recreant, & quod ſuperuacuum eſt per halitum digerunt. Porrò in omni laſsitudine boni ſucci nutrimentum neceſſarium, humidum & nullo modo glutinoſum. In vlceroſa contrà glutinoſum conuenit, in tenſiua humidiſsimum, & vtrumq; refrigerans in phlegmonoſa. In vlceroſa rurſus ex conſuetudine vel parciùs cibandũ, in tenſiua magis parcè in phlegmonoſa parciſsimè.

Laſsitudo à cauſa interna ſpontanea vocatur, pariterq; in tres ſpecies diſtribuitur.

Quarum

Quarum vlcerosa ex vitiatis humoribus ortum habet, tensiua ex plenitudine, inflammatiua ex vtrisque simul coniunctis, 2. aph. com. v. In hac febris vehementissima superueniet, nisi protinus sanguis detrahatur copiosus, saltem per epiphæresim. Sed Galenus Aeginetaq; denuò sanguinem non detrahunt, si in prima missione animi incidat exolutio, quæ in repetita euacuatione contingens minus formidanda est. In tensiua etiam venam secare, aut maleolum scarificare iubent: verùm in vlcerosa præstiterit purgare, quàm sanguinem mittere, nisi vitiosus succus cum sanguinis copia consistat. Quo in casu detrahere primo die de sanguine oportebit, deinde succum illum educere, qui superare videtur. Est tamen vbi neutrum facere conuenit, neque exercitari, neque moueri, neque lauari expedit, pręsente scilicet crudorum humorum multitudine: quos per id genus motus in totum corpus agere, vt nociuum est, ita saluberrimum eos seruare in omni quiete, ac concoquere per cibos, potiones, medicamenta quæ attenuandi dissecandiq; citra caliditatem manifestam vim habeant: veluti

luti ſunt oxymel, mulſum, aqua mulſa, apomel, ptiſana cum momento piperis, cappares ex aceto & oleo. Satius etiam fuerit dioſpolitico, & eo, quod diatrium pipereon nominant vti, vt ſcribit Galenus 4. de t.ſ. Nos minus calidis vti ſolemus, qualia ſunt mel roſatum colatum cum ſyrupo de cortice citri, electarium aromaticum roſatum, electariũ de cinamomo, & huiuſmodi alijs.

Ad arcendum laſsitudinem ſumitur ſeminis aniſi, aut vrticæ, obolus cum vino. Alligantur artemiſia, ladanum, nerui, gruis: aut myrti virga in manu tenetur: geſtatur proſerpinata in ore, vel ſub lingua. Lupi dentes equo adaligati eius arcent laſsitudinem. Virgam viticis etiam qui in manu habet, aut cinctu, negatur intertrigine tentari, ex Plinio, Dioſcoride, & Serapione.

Ad plantarum rimas, quæ gradientes infeſtant. ℞. ceruſæ drach. ij. ſpumæ argenti drach. x. myrrhæ drach. j. ouorum candida duo, vino odorato paulatim inſtillato terito, ac vtitor. Aliud quod valde probat Aetius ad omnes pedum ac manuum exulcerationes, & ad calcaneorum intertrigines ex calceamentorum attritu obortas: & ad attri-

tus,

tus, ex longo decubitu factos. Recipit mellis, cæræ, olei, spumæ argenti an̄. drach. j. misce.

Ad clauos. Illis prius vndiq; purgatis inducitur medicamentum septicum, inquit Paulus: sed mihi magis placent, quæ citra molestiam eos auferunt & abigunt. Velut est mastiche nigra in aceto cocta, calida adhibita, vel lomentum fabaceū cum aceto coctum. Calli item sanantur ammoniaco imposito intra quatuor dies. Idem præstare creditur anguillæ cutis imposita, aut aïzoi folium.

De somno & vigilia eorumq; diffinitionibus, inibiq; obiter enarrantur vtriusque occasiones, differentiæ, necessitas, commoda, noxæ, & salubres decubitus formæ. CAP. VI.

SOMNVS & vigilia Themistio affectiones sunt cōiunctæ, id est, corpori & animę communes: ac sensus passiones esse dicuntur, quoniam circa sensus fiunt: in illis enim quę sensu carent, nullus somnus incidit. Propterea plantæ haud dormire queunt, quia

sensu

ſenſu carent. Verùm omne quod ſenſum habet vel vnicum, interdum dormire, aliquandoq́; vigilare, conſentaneum eſſe arbitratur Ariſtoteles, lib. de ſ. & v. Ex quo Plinius vt piſces dormire rectè opinatur, ita eoſdem reſpirare omnes non ſcitè aſſeuerat. Nec illud quod ait, verum videtur, quòd videlicet nullus ſine reſpiratione ſit ſomno locus. Etenim Piſces vniuerſos dormire neceſſarium eſſe, in confeſſo eſt, ſed ex illis ſolum reſpirare poſſunt, qui pulmones habent. Reliqui verò vrinantes ſub aquis per brãchias multis ſubtilibus foraminibus pertuſas refrigerantur, falſumq́; eſſe ex his apparet, quod Heſiodus ſcripſit, luciniam ſcilicet ſomni expertem eſſe, ſeduloq́; in vigilijs verſari: quod & Aelianus in varia hiſtoria notatum reliquit. Certum autem eſt, non poſſe animal perpetuò vigilare, quòd per vigiliã diſſoluitur calor innatus ob idq́; cogitur ſeſe ad internas partes recipere, quò reſolutus inſtauretur. Et niſi eſſet ſomnus, ſenſus periret, vt dicit Auer. 2. collec.

Sunt autem ſomnus & vigilia contrariæ paſsiones: ideo circa eandem partem fiũt, nempe circa primum ſenſum, ſiue is tactus

fuerit,

fuerit, ſiue ſenſus communis. Proinde ſomnus & vigilia ſunt diſpoſitiones cordis, ſi prima ſentiendi vis in eo reſidet, vt ſentit Ariſtoteles loco præcitato: vel potiùs cerebri, vt Galenus demonſtrat p.de ca.ſy.& 7.de plac. Sanè conſtat in ſomno ſpirationem cordis multò fortiorem eſſe, propter reuocati caloris copiam, quàm in vigilantibus: quod & aſſerit Galenus 6.epi.com. 4. Ideoq́; non impeditum eſt cor.nec ceſſat in ſomno natiua ipſius actio. Eſt igitur ſomnus non cordis, ſed ipſius primi ſenſitiui, id eſt, ipſius cerebri diſpoſitio.

An ſomnus ſit quies & vacatio ab animarijs actionibus, vt definit Auicennas in canticis, & Galenus 4.aphor.com.v. Somnus, inquit, animales actiones intercipit, quæcunque per ſenſus fiunt, ac per muſculos in voluntarijs motibus. Certè in ſomno animalis potentia quieſcere videtur, non tamen omnino ceſſare ab operatione:nam dormientes quamuis difficulter ſentiant, non omnes penitus inſenſati ſunt. Et vt omittam quod omnes reſpirant, & à ſpiratione partim impelluntur muſculi thoracis, nonnulli præterea transferunt ſeſe,ac variè

membra mouent, loquuntur,& ambulant,
ferme ſtadium integrum dormiendo,& inſomnia videns peregit Galenus, vt ipſemet
teſtatur 2.de motu muſcul.de quo ſomno
Moſes quoque meminit,primo aphor.ſuorũ. Ex quo apparet, quòd in ſomno exigua
quædam à cerebro virtus in reliquas particulatim partes defluit: ex eoq́; quòd plus
vel minus affluit animal, vel profundè vel
minus profundè dormit, vt refert Galenus
p.de ca.ſymp. Eſt etiam vbi per ſomnum
quieſcente ſenſu motus fiat: quando ſcilicet caloris vis ab imaginatrice, aut ab alia
facultate, quæ motrici imperat, ad motum
efficiendum conuertitur, intacta interim
ſenſitiua, quæ in ſomno quaſi ligata feriatur. Sed dubium oritur: quia motus non
poteſt exerceri niſi ad partes externas calor innatus confluat,qui vigiliæ autor eſt,&
omnium operum naturalium cauſa: prima
aphor.com.15.Ergo cum Homero Galenus
noſter fallitur, qui ſomnum morti aſſimilant: quum videamus eſſe quoſdam in ſomno ambulantes & loquentes.Adde quod
contingit vel ſubinde ingenioſis hominibus ac doctis dormiendo probè ratiocinari.

ri. Nam imaginatiua vis & mens etiã quiescentibus ſenſibus agunt. Itaque in ſomno minus aliquanto impediti ſunt ſenſus interiores, quàm exteriores: & perinde in dormitione animus maximè declarat ſuam diuinitatẽ. Sic Xenophon 8. Pędiæ. in ſomno, inquit, anima eſt proxima diuinitati, quòd per id tempus potiſſimum libera eſt. Vt omittam haud crepam eſſe, ſed certiſſimam diuinationem quæ per inſomnia fit theopneuſta atque phyſica. De illis ſacræ literæ meminere, de his verò Hippocrates primus, mox Ariſtoteles & Galenus ſcripſerunt. Accedit quòd nullus eſt ſomnus ſaltem naturalis, qui expergiſcibilis non ſit, vt vult Ariſtoteles lib. de ſ. & v. nam poſt ſomnum animal excitat calor interno negotio ſolutus, ſpontè ad caput conſcendens.

Porrò ſomnus habet ſuas cauſas & euentus, ex quibus licet definitionem & differentias ducere. Efficiens eſt conuentus, & reciprocatio innati caloris ad interiora: nã ſomnum & vigilias fieri ſecundum innati caloris motiones tradit Galenus 2. aphor. com. p. Hippocrates quoque 6. epi. Vt per ſomnum, inquit, calor intro, ſic per vigilias

foras mouetur:ſed ipſa innati caloris ad interna itio, à natura efficitur, vel, vt laborantibus membris opituletur, vel vt ventriculi, hepatis, & vaſorum actionem neceſſariam adiuuet. Materialis cauſa ſunt vapores ad cerebrum conſcendentes, aut humores in eo exiſtentes. Eſt autem ſomnus (mea quidem ſententia) quædam vigoris ſenſuum intermiſsio, ex caloris natiui ad internas partes motione facta, per quam animalis vis per vigiliam diſsipata, eiusq́; organa fatigata inſtaurantur, & valentior naturalis redditur facultas.

Eius differentiæ ducuntur à mediocritate, & exceſſu, iuxta illud Hippocratis 2. aphor. 3. Somnus & vigilia vtraque ſi modum exceſſerint, malum. Vnde ſomnus naturalis à cauſis ſalubribus naſcitur, & in mediocritate vt in ſanis poſitus videtur. Morboſus verò, ſiue præter naturam ſomnus in exceſſu exiſtit, vt in ægrotantibus. Prior fit ſecundùm Galenũ 3. de ca. pul. vbi natiuus calor ex fatigatione, aut nimia ſiccitate ad alimentum ſeſe conuertit. Poſterior verò efficitur, vbi idem calor ob immodicam humiditatem foras nequit progredi, qualis eſt

in

in comatibus & lethargis, qui non facilè abrumpi poteſt. Et huiuſcemodi ſomnus eſt, qui iure, & meritò, mortis frater dici queat. ὕπνος τὰ μικρὰ τοῦ θανάτου μυστήρια. Itaque Diogenes, vt ſcribit Plutarchus, ſomnolentus ac ſoporatus, vitãq; quàm mox relicturus, excitanti ipſum Medico, & num moleſtiæ quicquàm ipſi ineſſet percontanti, nihil moleſtiæ, reſpondit, mihi ineſt. ὁ γὰρ ἀδελφὸς ἀδελφὸν προλαμβάνει, id autem eſt, fratrem enim frater præuenit, ſomnus videlicet mortem.

An ſomnus Epimenidis naturalis? Plinius narrat 7.nat.hi. Epimenidem puerũ æſtu & itinere feſſum in ſpecu quinquaginta ſeptẽ annis dormiſſe, rerum faciẽ mutationemq; mirantem, velut poſtero exporrectum die. Nec adeò diſsimilis eſt de Septẽ dormientibus eccleſiaſtica hiſtoria. In puero quidem gemina ſomni cauſa fuit, æſtus videlicet, & laſſitudo. In ſpecu verò occaſiones quatuor, nempe frigiditas, humiditas, tenebræ, ſilentium. Animalia quoq; quæ in cauernis latere conſueuerunt, ſomno longiſſimo & graui videntur ſoporata, eoq; ſalubri: argumento eſt bonus habitus, quando

huiuſmodi ſomno ita pingueſcunt, vt inter ſaginata, & dapes ganeatas habeantur, vt vrſi caro, & glires de quibus Martialis,

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus habet.

Somnus alit, quia pituitam qua illa redundant animalia, concoquit, & in alimentum ſeu in ſanguinē mutat. Reliquæ ſomni differentiæ pertinere videntur ad ſomnum naturalem, vel ad eum, qui præter naturam eſt. Horum variæ ſunt cauſæ. Obſtructio ex vaporibus ſomnū facit ſecundum naturam. ſed quę ex humoribus orta eſt, ſomnū præter naturam infert. Et hic habet de cauſis internis frigiditatem, humiditatē, vel vtranque coniunctam, p. de ca. ſymp. & 2. & 3. de loc. aff. De externis ſunt contuſiones, vulnera capitis, & muſculorum temporalium, 3. de loc. affec. adde refrigerantia admota, & ſomnifera, quæ humectant. Frigus ſomni profundi cauſa eſt, quia calidum non mouet, & aliunde commotum temperat, impeditq; ſuos motus exercere. Fit etiam huiuſmodi ſomnus à crapula, com. 2. in porrh. & ab humiditate 4. de præcog. pul. Immoderatus dicitur, qui poſt confectos ſuccos

perdur

perdurat, 3. de ca. pul. Longus, qui ſolū tempore excedit naturæ modum conuenientem, fitq́; refrigerato primo ſenſitiuo, 2. aph. com. 3. Somnus grauis eſt, qui difficilem habet expergefactionē, ibidem. nam ſomnus tandiu durat, quandiu manet id, quod illum conciliauit. Hyeme ſomni longiſsimi, quia noctes longiores, & aër frigidior. In locis obſcuris plurimum dormimus, minus in claris: quia in his eſt, quod ſenſus moueat, in illis verò nequaquam. Longos conciliant ſomnos, quæ vehemētiùs calidi innati ſubſtantiam diſſoluunt, ſicq́; eius motum ad exteriora prohibent, vt dolor, vigilia, labor, laſsitudo, inedia. Idē præſtare poſſunt denſantia & aſtringentia capiti admota. Turbati ſomni non in tantillis ſolùm, ſed etiam in ætate perfectis fiunt, quando multi & vitioſi humores grauant & mordent ventriculum, præſertim ipſius os, quod exquiſitiſſimum habet ſenſum, 3. aphor. com. 25. Febriū paroxyſmi per inſultus, & motus crudorum humorum circa ventriculum & primas venas redundantium ſoporant: quia calorem reuocāt ad internas partes: vt etiā faciunt cibus & potus, frictiones, ac lotio-

nes calidæ partium inferiorum : ſomnus ex titillatione & fricatione plantarum , apud Aphrodiſeum 2.probl. 42. Solis ardor his tantùm ſomnum affert,quorum capita plurimum pituitæ continent , idem p.probl. Somni etiam obrepunt ex quiete ſenſuum & cogitationis,vt ex lectione,tenebris,muſica,cantu,aquarum ſtrepitu. Balneæ quoq; ac lotiones aquæ frigidæ in magno æſtu, quæ vniuerſum corpus refrigerant,ſomnos dulces concitant,repreſſo,refrigeratoq́; calore.Somnus breuis & non profundus à cerebro calido,2.art.par.quia internum calorem ad ſe allicit. Somnus breuior eſt his, quibus concoquendi vis valida eſt. Tenues & parui proueniunt ab humoribus tenuibus iam putrefactis, 3.epi.com.3.

Somni præterea triplex neceſsitas eſt: prima,quòd alimentum concoquat : altera quòd corporis ſubſtantia & ſpiritus , qui vigilando perierũt,inſtauretur : tertia,quòd defatigatis ſenſuum organis , corporiq́; requiem præſtat , vt tradit Auerrhois. Et niſi ſomnus eſſet,ſenſus inquit perirent,& conſequenter vita, 2.collec.patitur enim ſenſus à ſenſibili,2.de animal. Quapropter neceſſe

cesse est somnum sequi vigiliam, quia motum quies sequitur: Quies autem conseruat animal. nam vt ille canit,

Quod caret alterna requie durabile non est:
Hæc reparat vires, fessaq́; membra nouat.

Rursus,

Somne quies rerũ placidißime somne deorum.
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministerijs mulces, reparasq́; laborem.

Iam somnus si rectè ineatur, commoda multa præstat, quæ ab Aegineta sic numerantur: Cibum elaborat, humores excoquit, dolorem lenit, lassitudinem solatur, intenta laxat, animi ægritudines obliterat, rationem vitiatam corrigit. Certè somnus visceribus & cruditatibus omnibus maximè opitulatur, & concoquit non solùm quæ in ventriculo & hepate sunt, sed etiam quæ in venis & arterijs continentur, vt astruit Galenus 2. de temp. humectare, spiritumq́; & effluuia cohibere est natus, 2. r. a. com. quoniam vnà cum sanguine calor innatus ad profunda corporis confluit, sistitq́; omnes euacuationes præter sudorem, 4. aphor. com. 15. profundus verò plurimum confert ad coctionem, p. de alim. Imo & somnos

morbi concoctio ſequitur, 6.epi.& 2.r.a. laſsitudini quoque remedio eſt, 6.epi. Eſt etiam vbi corpus refrigerat, vt in pituitoſis febribus, extinguendo febrilem calorem, & naturalem augendo, interibi com.4.

Somnus etiam ſuas habet noxas & incommoda. nam mediam vitæ partem aufert, vt retulit Plinius 36.nat.hiſtor. Vnde aiunt fœlices à miſeris in dimidio vitæ nihil differre, p.ethic. Multus ſomnus capitis grauitatem conciliat: quoniam vt Caſſius in problematis ſcribit, tranſmiſſa ad caput materia ob adſtrictionē ſomni ratione factam, exhalare, tranſpirareq́; non poſsit. Vberior ſomnus crudos humores digeri non ſinit, 12.ther. Ex immodico halituoſa redundant excrementa, 2.r.a.com.vlt. Quæ in corpore & cerebro detenta immodicè humectāt & refrigerant, 2.cantic. Eoq́; corporis conſtitutio excoctis ſimiliter exoluta redditur, vt ait Galenus, com.allato. Hebetiores ingenijs fieri pueros, eorumq́; proceritas impediri ſomno nimio, ex Varrone adnotauit Gellius. Somni ieiunum extenuant & refrigerant, humidum quod ineſt euacuantes, 6.epi.& lib.de diæta. In acceſsionum principio

cipio

cipio ſomnus obeſt, 6.epi.com.v. Semperq́; ſomnus ſebrientes lædit, quatenus ad profundum & viſcera per eum materia fluit: ſed concoctionis ratione plus affert vtilitatis, quàm ſit damnum, quod ex motu ad interna conſequitur, 4.aph.com.47. Læſio per ſomnum in morbis lætalis eſt, ſed magis in declinatione, minus verò in incremento, & ſummo vigore, 2.aph.com.p.

Cæterùm in ſomni ratione hæc potiſſimùm in ſanis conſideranda veniunt, tempus videlicet ad dormitionem idoneum, ſomni quantitas, decubitus forma, locus & inſomnia. Accõmodatiſsimum itaque tempus nocturnum eſt: quoniam nox, vt exarat Aegineta, naturali humiditate, ſilentioq́; ſomnum accerſens, abſolutam molitur con coctionem. Somnus nimirum in tenebris ocyùs obrepit, quod pro confeſſo ſumit Ariſtoteles 6. Probl.7. Somni quoque occaſio opportuna à cibo iudicatur, ita tamen vt duarum vel trium horarum interuallo à cœna diſcludatur. Interdiu vigilandum, noctu dormiendum eſt, vt iubet Hippocrates 2.progno. à qua conſuetudine ſi quis aberrauerit, peior erit ſomnus, inquit, qui inter

quart

quartam horam & noctem, quam qui matutino tempore ad quartam. Somnus meridianus nocentiſſimus dicitur, 9. Aetij. & 3. primi Auic. niſi laſſationis ſenſus adſit, aut nox vigilata præceſſerit. Dies enim refragari ſomno videtur, calore, ſiccitate, luce, & ſtrepitu: nam horum contrarijs nox ſomnum inuitat. Itaque ſomno à prandio caput repletur ac grauatur, & inde ephemera, dolor capitis, ſegnities, & rheumatiſmi. Ex quo Celſus longis, inquit, diebus meridiari potiùs ante cibũ, ſin minus, poſt eum. Quibuſdam tamen meridiari expedit, vt placet Bertucio, modò id fiat ex conſuetudine, nec protinus à cibatione, ne excedat naturę modum conuenientem, nec decumbat capite depreſſo, neque ſomni repentina fiat interruptio. Compertum eſt enim, ſomnum minus nocere ſedente corpore captatum, quàm decumbente: nam faciliùs prębentur exitus vapori aſcendẽti, erecto corpore ac capite, quàm iacente. Somnus qui ſequitur inediam, famẽ aut exercitium intempeſtiuus putatur, quia corpus euacuatum exiccat, pręſertim ſi multus fuerit, 6. epi. com. 5. ſomnus tamen à balneo

impensè

impensè laudatur à Galeno, 4. de t. ſ. his verbis. Nihil rerum omnium eſt, quod meliùs concoquat, quæ concoqui poſſunt, & quod melius malos ſuccos digerat, quàm ſomnus à balneo, modò ne quid maioris momenti obſtet. Intempeſtiua quoque dormitio eſt, quæ ante cibi deſcenſum ad ventriculi fundum inuadit, vt autor lib. de diſſol. cont. Almanſor lib. 4. & Auic. 3. primi, teſtantur. A cœna igitur molliter deambulare oportet, vt cibus ex orificio ventriculi deſcendat, & orificium claudatur, ſicq; cœnam frugalem purus ſequetur ſomnus, vt ait Plutarchus 6. ſympoſ. nam concoctiones vtiles ſomnos inducunt, 4. aph. com. 47.

Sed ambigitur, ſomno'ne, an peruigilio meliùs concoquatur cibus, vigilijs inquit Galenus totum alitur corpus 6. epi. com. 5. & Maſſaria in ſuis paradoxis exiſtimat naturalem calorem per ſomnũ in venas, non item in ventriculum retrocedere: idcirco perfectionem in ventriculo concoctionem fieri interdiu. Huic opinioni Plinius aſtipulari videtur 11. nat. hiſt. c. 53. inquiens ſomno cõcoquere corpulentiæ quàm firmitati vtilius. Ideo Athletæ malunt cibos ambulatione

ne

ne perficere. Peruigilio quidẽ præcipuè vin cuntur cibi. Mihi verò hæc ſententia neutiquam probatur: nam licet Galenus lib. de euchy. & cacochy. multum laborem cibos diſsipare cõcedat, aſtruatq́; primo de alim. ad concoctionem etiam ciborum, qui concoctioni valde reluctantur, conducere con ſuetudinem, parcam eorum aſſumptionem ac deniq; totius corporis inanitionem, quæ robuſtiſsimis ſuperuenire ſolet, vt meſſoribus, foſſoribus, athletisq́;, & his, qui de mane ad veſperam vſque in ſtatis negotijs deſudarunt: nihilominus his omnibus præferre videtur, graues altosq́; ſomnos, qui defatigatos arctiùs ſolent complecti, quum concoctionem ipſam mirificè iuuent, multum afferunt momenti, ne à prauis edulijs damnum accipiant: quippe ſi peruigilare eos cogas, ilico, vt inquit, morbum incurrent. Illis igitur vnicum hoc ad paruos cibos peruincendos datum eſt. Quod autem retur Maſſaria naturalem calorem per ſomnum in venas, non item in ventriculum retrocedere, falſum eſſe declarat Galenus 6. epi. com. 5. his verbis, ſomnus viſceribus vtilis, quum eo tempore calor innatus ad profun

profunda corporis confluat. Hippocrates quoque loco citato, labor, inquit, articulis & carnibus conducit:cibus verò & ſomnus viſceribus.

Quantitas autem, ſiue ſomni limes, & duratio, eſſe debet abſoluta cibi coctio:quę in ſanis ſimpliciter ſemper citiùs, in alijs contra tardiùs abſoluitur. Sed magna ex parte in ſex, aut ſeptem, octo'ue horis perficitur, perfecta depræhenditur ex ventris officio, ructuum abſentia, & indicijs à lotio ductis. Iure ergo ſomnus poſt confectos ſuccos perdurans immoderatus cenſetur, 3. de cauſ. pulſ. Atqui Hippocrates vult iſthæc moderata eſſe, exercitationem, cibum & potum, venerem & ſomnum.

Inſuper obſeruanda decubitus forma eſt: haud enim omnis in qua ſomnum capimus, ſalubris. Capimus autem ſomnum vt plurimum in ea, quæ eſt inter extremam & mediam figura. Qua ex re ſedentes dormiunt, & nonnulli ambulantes, vti refertur apud Galenum 2. de motu muſcul. Itaque cubare non recto, ſed molliter inflexo corpore, ſeu cruribus paululum retractis præſtat, vt præcepit Hippocrates p. progno. &

Ariſtot

Aristoteles 6.Probl.3.sic etiam fit,vt venter recalescat. Decubitus erectior esse debet, vt Aetio placet,quò superior pars corporis sublimior sit, & inferior submissior. Id probāt Almansor lib.4.& Rases 25.conti. Sunt qui primum in dextro latere cubandum esse consulunt, ne hiet os ventriculi. Alij contrà dormire primum in latus sinistrum volunt,vt ventriculo concoquenti accedat calor ex decubitu : deinde in dextrum , vt facilè reddatur in hepate alimenti concocti distributio. Conciliator autumat quòd dormire super dextrum latus his confert, quibus sicca aluus est,& adstricta. Alioquin accubare in dextrum parum, inquit, oportet : sed multum in sinistrum,maximè si vel hepar calidum, vel ventriculus frigidus,aut aluus cita,liquida'ue fuerit. Sed Theophrastus celeriùs concoqui dextri lateris in cubitu , difficiliùs in supinis retur. Reclinatio prona sanis auxilium etiam magnum ad digestionem affert, vt asserit Auic.3.primi, & tussientibus , si Plinio credimus. hinc illud Fieræ.

Pronus quisq; cubet,dextra vel parte recumbat,
Mox læui lateris commoda somnus amat.

Lethæa

Lethæa est resupina quies: hanc Paulus vitare iubet, ne caligine oculi corripiantur. Sed Plinio supina reclinatio non prorsus damnatur: siquidẽ ait supinos cubitus oculis conducere, at pronos tussibus in latera aduersum distillationes, & plurimũ somniari circa vernum & autumnum magisq; supino cubitu, at prono nihil 20. nat. hist. c. 4. Attamen resupinum dormire malum esse, testes sunt Rases 25. cont. & Auic. 3. primi. quoniam eo situ fit superfluitatum ad posteriora reclinatio, atque inde retentio, nec suis influere meatibus permittũtur qui antica corporum obsident, cuius sunt generis nares & palatum: indeq; incubus, & aliæ paruæ struuntur ægritudines. Supinum iacere & hiare cũ stercore, exolutionis, ebrietatis, aut ignauiæ esse signa asserit Galenus 2. de motu muscul. propterea Hippocrates p. progno. vtrunq; damnat. Incubitum verò in vtroque latere commendat. Insuper decumbendo quiescere, & expassa manu os ventris appræhẽdere ad concoctionẽ facit: nam frequentes in lecto agitationes cibos perturbant, autore Aetio. Præter hæc concoctioni cõferre dicit Galenus lib. de const.

art.med. parcum cibi vſum boni tamē ſucci, potum vini parum calfacientis, moderatamq; frictionem.

Porrò quia ſomnus in tenebris ocyùs obrepit, cubiculum debet ſubobſcurū eſſe, ne lumen Solis vel Lunæ vibret in oculos, vt præteream quòd dormire ſub Lunæ radijs poſſidere facit ſanguinis ſcreatum, vt loquitur Auicenna prima tertij. Lunæq; radij indormientes ſi feriant, ſtupidos faciunt, vt Plutarchus aſſerit 3. ſympo. ſed Caſsius reddere cauſam conatur, cur ſub lucente Luna vigiles quantumuis diu moram trahant, nihil offenduntur, dormientibus verò caput obſtruitur. In promptu cauſa eſt, cuius non meminit: videlicet, quòd calor natiuus & ſanguis per ſomnum interiora magis ſubeunt, vt teſtatur Hipp. 6. epi. proinde caput, & partes externæ minus calent, ſicq; facile afficiuntur. Cubiculum in æſtate modicè frigidum ſalubre: quia in calidis naturis in aëre frigidiore ſomnum capere confert, teſte Galeno 6. epi. com. 4. Calidum & ſiccum hyeme vtile, frigidum noxium: ſua enim intemperie in nobis pituitam accumulat. Somnum qui in cubiculo contingit, nuper

nuper incrustatione dealbato, in quo carbones accensi sunt, mors certa sequitur. Insuper dormire sub arboribus quarũ vmbra est capiti grauis & noxia, veluti est iuglandis, mali punici, buxi, est oppidò quàm insalubre, vt ex Plutarcho & Neocomensi colligitur. Et taxum tam præsentis veneni esse tradit Dioscorides, vt qui sub ea vel sedeãt, vel somnum captent, sæpenumero commoriuntur, præsertim dum arbor turget. Iuniperi etiam grauis vmbra, vt ait Maro. Nec dormire prope rubum tutũ est. Inibi nanq; animalia venenosa habitare prodidit Vitalis. Molle cubile probatur Celso, lib.p. & Polybio de r.v. priuat. quoniam durũ astringit, & corporis incrementum impedit. Diuites in Babylone vtribus aqua plenis indormiunt, quò spiritum ab æstu ægrum refocillent, vt refert Plutarchus 3. symp. Equidem nobiles aliquot in Italia noui, qui vtribus flatibus distentis æstate indormiebant.

Postremò quæ per somnum accidunt, necnon ipsa insomnia expendenda sunt, vt monet Hippocrates 6. epi. & libello de insomnijs, quẽ doctissimis commentarijs Cæsar Scaligerus illustrauit: sunt enim somnia,

vt Aristoteles scribit, passionum animæ & corporis indicia. Et illa præcipuè curanda sunt, quæ respondent corporis affectibus, aut certis humoribus, quorum redundantia & agitatio mouet spiritus & imaginationẽ, vt si incendium quis per somnum videat, eum flaua infestari bile significatur, si fumum, aut caliginem, aut profundas tenebras, atra bile grauatur. De illis verò quæ pendent ex affectibus vigilantiũ, scriptum est, somnia ne cures, tale & illud Claudiani videtur,

Iudicibus lites, aurigæ somnia currus.

Nec fortassis alienum erit, ex Aristotele & Themistio subiungere, quod indocti & gregari parte plurima somniare, & vaticinari videntur futura, & prout quisque natura blaterò loquaxq́; est, aut melancholicus, ita visionibus aut insomnijs multiplicibus vtitur. Porrò quum plurimis & varijs visis horum animus pulsetur, non est vt sit mirandum euadere interim ex his aliqua, quæ prædixerint. Nam & qui totum diem iaculantur, aliquando collimant, & præmiũ capiunt. Vetus autem adagium est, si sæpe iactaueris, aliquando venerem iacies. Itaq;

Homer

Homerus quum deos ſuos de rebus futuris deliberantes introducit, oſtendere vult rerum futurarum prænotionem, humani ingenij captum longè ſuperare.

Albertus tamen ſi dijs placet, amandino lapidi vim aſcribit, qua vera de futuris ſomnia demonſtrantur : eandemq́; vim Kiranus pennis aquilæ tribuit, thoraci & ſtomacho applicatis. Sed illud verius quod adnotauerunt Dioſcorides & alij, quædam eſſe, quæ ſomnia mala & imaginoſa inducunt, vt ſaba, lens, picnocomum, ſmilax leuis: caules, & porrum, Almanſor. cepa faſeoli, vinum nouum, Iſac. ſolatrum & anacardus, Serapio. onyx geſtatus, & quirinus lapis thoraci dormientis impoſitus, Albert. Contra læta ſomnia facit, meliſſa à cœna comeſta, Card. Adamas ſomnia mala repellit, & lapis ceraunius ſomnia læta miniſtrat, Lapidarius. Inſomnia leuat aniſum in puluino ſuſpenſum, Plin. dentes equi maſculi ſub capite poſiti, Raſes. Vigilia quoq; non minus nos alterat neceſſariò quàm ſomnus, 3. art. par. Eſt autem vigilia diſpoſitio, quæ ſenſationem ſequitur ex caloris innati motu ad ſenſoria, 3. de ca. pul. Vndę vigilans exter-

nis partibus calidior est, & internis frigidior, 6.epi.nam sanguis & naturalis calor emergunt foras. Itaque vigilia moderata ad finem animalibus iuncta est: nanque sentire & sapere finis omnibus est: brutis sensus, homini sapientia & prudentia finis est, explicat Themistius. Et quum secundùm naturam animus noster agitatur, nullo tum somno premitur, 18. Prob. primo. Ob id minus dormimus quàm vigilamus. Accedit alia ratio, quòd calor per somnum alimenti concoctionem paucis horis expedit, & toto eo tēpore, quo nihil habet quod agat, in externis partibus versatur. Et vt per somnum peragitur in partibus internis concoctio, ita per vigiliam quod concoctum in illis est, caloris prodeuntis vi per corpus distribuitur, & rursus in illis cōcoquitur: exercenturq; aliæ actiones ad nutritionem necessariæ. Ex quo verum esse apparet, quòd vigilijs totum alitur corpus. An vigilia prius insit embryoni quàm somnus, quod inquirit Tauerga. Sanè constat, quòd embryo animal non est antequàm sentiat: atqui somnus sensuum quies dicitur: ergo vigilia præcedit somnum. Aristoteles in œconomicis

micis vigilias matutinas ad salubritatem, & ad ingenij acumen pertinere refert: proinde ἀκροαματικὰ tempore matutino docebat quòd oratione maximè limata erant, ἐξωτερικὰ verò seu populariter scripta, vesperi, vt Gellius notatum relinquit 20. noctium Atticarum. Galenus quoq; lib. ad Thrasyb. Vigilia, inquit, cogitatioq́; non rudis magis quàm somnus perspicacẽ intellectum reddunt. Etenim crassus venter subtilem mentem non parit. Est ergo vigilia moderata, & quæ modum non excedit, ex vsu: contrà ἀγρυπνία id est excedens seu insomnia, insalubris. Inde illud Martialis,

Nam vigilare leue est, peruigilare graue.

Fiunt autem vigiliæ propter tum siccitatem tum caliditatem primæ partis sentientis, hoc est cerebri, com. 2. in prorrh. eas inducit siccitas, & calor immoderatus. j. de ca. sy. Earumq́; nocumenta sunt permulta. Vehemens enim vigilia per halitum digerit & siccat 2. r. a. com. 55. vniuersum corporis habitum exsiccat, 7. ther. cerebri temperaturam corrumpit: nam immodicè superuenit conuulsio & delyrium, immodicę siccitatis ratione, 7. aphor. com. 18. Non

minus exoluit virtutem, quàm ſenſibiles vacuationes, com.1.in prorrh. Hanc cruditas morbi conſequitur, 2.r.a.com.44. imò cruditatem incoctionemq́; tum ciborum, tum potionis efficit.2.r.a.vltimo.

Vnde iſtis ſuccurrendum eſt ſublatione cauſarum, & per ea præcipue quæ ſanos humectant & refrigerant. De cibis conuenit lactuca, portulaca, ſolatrum hortenſe, papauer album: ſopiunt etiã illitiones ex oleis violato, nympheæ, vel ex vnguento populeo aut roſato Meſue. Scripſit ſuper hoc argumento pleniſſimè duobus voluminibus & oppidoquam doctè Argenterius Io. cuius iuſſu illos apud me pro xeniolo depoſuit ornatiſſimus iuuenis Renerius Germanus medicus.

De vniuerſis pathematum generibus, eorumq́; viribus, quibus corpus mirè afficitur. Item quatenus ſeruandi, aut moderandi ſunt affectus, explanatio.

CAP. VII.

PATHEMATA iraſcibilis concupiſcibiliſq́; paſſiones eſſe cẽſentur: nam animam in duas partes diſtribuit

buit Aristoteles primo magnorum moral. In eam videlicet quæ rationem habet, & alteram quæ rationis expers est. Ex parte quæ habet rationem, exoritur prudentia, solertia, sapientia, ingenium, memoria, & id genus aliæ: at ex parte rationis vacante, quæ virtutes appellãtur morales. Quæ quoniam bonos simpliciter faciunt, illis quæ ad intellectum pertinent præferendæ sunt. Est enim pars rationis expers, gemina. Vna quę rationi nullo modo obedit, veluti vegetatiua: altera quę rationi aliquando obtẽperat, vt irascibilis cõcupiscibilisq́;, vtraq́; homini percommoda est. Concupiscendi quidem vis, vitam tuetur, speciemq́; conseruat: hac enim ipsa cibum ac potum sumimus, liberosq́; procreamus: ab eadem virtutis desiderium nobis aduenit. Huic autem veluti socia, sed contraria nata est irascendi potentia, vt immoderatam cupiditatem atq; libidinem coërceat. Ac veluti calida frigidis maximè contraria sunt: si tamen eadem admixta inuicem temperentur, optimam commixtionem efficiunt. Ita, iracundia, & cupido inuicem admixtæ alterno impedimento faciunt optimã virtutis commixtio-

nem, vt Theodoritus disertè scribit 5. de curatione pathemat. Concupiscibile à Nemesio diuiditur in voluptates & ægrimonias. Adueniẽs enim cupiditas voluptatem facit, substracta verò ægrimoniam. Rursum & alio modo diuisa cupiditas quatuor secum omnes adducit species. Quoniam eorum quæ sunt, quædam sunt bona, quædam verò mala. Et singulorum quædam adsunt, quædam expectantur. Expectatum quidem bonum desiderium est. Iam verò præsens, voluptas. Expectatum malum metus, præsens verò ægrimonia. At bona & mala dicuntur, quæ aut vera sunt, aut quæ putantur. Porrò Aristoteles lib. de motib. animal. omnia animalia, mouentia reducit ad intellectum & appetitũ. Ad intellectum quidem, phantasiã & sensum: iudicatiua enim sunt: ad appetitum, voluntatem & concupiscentiam: ad vtrunque electionem. Sed Galenus non modò vtriusq; appetiuæ passiones, verùm motus etiam qui in rationali animæ parte modum non seruant, connumerare inter pathemata videtur, p. de t. s. Et quẽadmodum Plato in Timæo, sic idem in tres animam species diuidit. Rationalem

videl

videlicet, iraſcibilem & appetitricem. Quarum prima, vt ait, veritatis, ſcientiæ, diſciplinarum, honeſtarumq; omnium deſideratrix eſt, ſecundùm deſiderij cõmune ſignificatum. Animoſa libertatis, victoriæ, potentiæ, imperij, gloriæ honoriſq; flagrat libidine. Tertia veneris, eſculentorum potulentorũq; voluptatibus perfrui deſiderat. Rurſus priorem in cerebro, alteram in corde, tertiam in iocinore ſedem habere dixit. Iccirco eas differre tum obiectis tum organis, innuit, idq; ſcienter. Nam quum ſæpe ratio improbat affectus, vt in Medea contingit, quæ apud Euripidem iracundiæ con ceſsit dicens,

Noui equidem cuiuſmodi faciam mala,
Sed fortior iracundia conſilijs meis.

Quæ item, inquit, apud Naſonem,

Video meliora, proboq;
Deteriora ſequor.

Conſequẽs ideo eſt, iudicium & affectus non in eodem organo eſſe. Attamen iraſcibilis magis audiẽs, parensq; rationi eſſe videtur, ex Platonis ſententia 7. de legib. & Ariſtotelis 2. rheto. Obſeruatumq; eſt eſſe bruta, quæ ad iram magis prona ſunt generoſiora

ſiora eſſe, & cęteris ratione præſtare. Quod verſiculus ſequens teſtatur,

Nam faciles motus, mens generoſa capit.

In exemplo ſunt æluri & leones. Feles, inquit Plinius, quo ſilentio, quàm leuibus veſtigijs obrepunt auibus, quàm occulto ſpeculatu in muſculos exiliunt. Excrementa ſua effoſa obruunt terra, intelligētes odorem illum indicem ſui eſſe. Et de leone Galenus, ſubſidere, ait, in tempore nouit, inſidiantemq́; eludere, & occaſionem ab aduerſario præbitam momento arripere, & aut vi, aut improuiſo aſtu quæ hoſtiū ſunt, occupare, occupataq́; tueri: quæ bonorum imperatorum ſunt opera.

Sciendum inſuper, quòd inter animæ accidentia Auicennas non ſolùm numerat perturbationes, quæ affectuoſam animæ partem ſequuntur, ſed eas etiam quæ à forti imaginatione fiunt. Aitq́; ſecunda primi, quòd omnia animæ accidentia ſequuntur ſpiritus motiones interius aut exterius: idq́; ſubitò aut paulatim. Cor namque repente dilatatur in ira, & ſenſim in lætitia: conſtringitur confeſtim in timore, lente verò in triſtitia. Accidit etiam vt eodem ferè

tempore

tempore ad interiora exterioraq́; moueatur, vt in verecundia & angustia:in illa quidem celeriter, in hac verò tardè. In lætitia cor sensim dilatatur, quo præsenti fruatur bono, naturalisq́; calor ac spiritus quasi ad exteriora cum sanguine diffunduntur, 4. de ca. pulsſ. Quo fit vt membra sanguinis humiditate imbuātur, humectanturq́; ac crassescant. Non mirum igitur si gaudium impinguat, vt dicit Auerrhois 2. canticorum. Lætitia viribus robur tribuit, naturam excitat, eamq́; in suis iuuat actionibus, omnibusq́; sanis cōfert, nisi nimia opprimantur corpulentia, 4. Almansoris. Lætitia vires confirmat vitales & animales, 4. primi. Cōcoctioni conducit, 13. tertij. Ex frequenti lætitia sequitur vigor naturalis virtutis, lib. de virib. cord. Validior motus fit in pericharia quàm in lætitia. Qua ex re quidam excedenti gaudio perierunt, 2. de ca. sy. Exempla nonnulla extant apud Valerium & Gellium, 3. noct. Attic. Fides atque spes similes sunt lætitiæ motus. Ideo vtranq; infirmis, & ægrotantibus prodesse, testatur Celsus: nam ille plures sanat, de quo plures confidunt, vt scribit Galenus p. progno. com. 2. Spei vicinus

nus adfectus eſt amor, cura videlicet ratiocinatione in motu occupata, vt definit Aegineta lib.3. Qua Antiochus rex quum deperiret Stratonicem Nouercam periclitabatur, vt perbelle & eleganter Apianus refert. Cuius hiſtoria illuſtratur mirabilis Eraſiſtrati Medici ſapientia, detegiturq́;, atque palam fit, incredibilis Seleuci regis erga filium amor, vt veriſsimum videri poſsit illud Euripidis carmen,

Ἅπασι δὲ ἀνθρώποισιν ἡ ψυχὴ τέκνα. id eſt,

Cunctis hominibus filij ſunt corculum.

Triſtitia omnibus ſanis nocumentũ affert, niſi corpore fuerint admodum obeſo, vt ait Almanſor lib. 4. Conferre triſtitia etiam poteſt in pericharia, inq́; ſoporoſis affectibus: etenim ſomnum arcet, quæ de futuro, inſtanti'ue malo incidit, triſtitia: refrigerat, quia intro paulatim conuertit caloris motum, vt ait Galenus 4. de ca. pul. & 2. de ca. ſympt. Exſiccat, quoniam per eam cor conſtringitur, premiturq́;. Idcirco nec ſpirituum copia generari, nec diſtribui cum ſanguine in membra poteſt. Iure ergo, inter cauſas digeſtionem corrumpentes numeratur, ab Auicenna decima tertia tertij. Vi-

res infirmat naturales, lib.de virib.cord.vires resoluit, 14.ther. Tristia auditu horrorem, aspectu lypothymiã efficere possunt. plerique enim quum homines laqueo strangulari viderent, ipsi defecerunt, vt 7.prob: 5.retulit Aristoteles. Timor fiduciæ contrarium est; horum certè contraria sunt obiecta, 2.rhetor. Et adeò maleficus timor est, vt Xenophon 3.Cyropędiæ affirmet vehementiores esse formidinũ cruciatus, quàm vllæ sint præsentes aduersitates. Inueterata formido à tristitia non differt, 4.de ca.pul. Si timor & mœstitia longo tempore perseuerent, non modò atra bilis significatur, sed etiam inducitur, vt colligitur 6.aphor. com.23. Repentinus pauor quandoque perimit. Id quod solet contingere, quando debilis suapte natura animula sub valido pathemate confertim & extinguitur, & suffocatur. Etenim extinctio affectum ex refrigeratione ortum consequitur: suffocatio verò concursum sanguinis vniuersi ad ipsum principium, vt illi duo coæui tradunt Galenus 2.de ca.sy.& Aphrodiseus prima Problem.15.

Sed qui fieri potest, vt metus qui actu-

tum

tum ſubito'ue fit, quartanam febrim abigat, quod aſſeruit Razes 18.cont. An quòd per timorem calor contrahatur, vnde refrigerantur metuentes per ſumma corporis ac tremunt. Et quòd caleant per intima, caloris ſcilicet introrſum contracti efficientia ſitiunt. Atque aluus pleriſq; effundi ſolitus eſt, vt tradit Ariſtoteles 27. Probl.

Eadem, vel non adeò diſsimili ratione, eorum qui ob copiam aut mordicationem ſingultiunt, timor ſufficiens ac efficaciſsima eſſe medela poteſt, vt Auicennas autumat, decima tertia tertij, & Viaticus, quoniam per alui fluorem metus & materiam ad focum febris confluentem auertit, & à ventriculo mordaces ſuccos deturbat, ac perinde quartanam curat & ſingultum.

Ira timiditati contraria eſt: quia ex igne proficiſcitur 8.Probl.17. Manſuetudini etiã contraria exiſtit, 2.rhetor. manſuetudine nanq; ſuſtinentur infeſta, vt ait Ariſtoteles lib. περὶ ἀρετῶν. Eſt autem ira feruor caloris in corde, cum vltionis appetentia, 2.de t.ſ. Quare non parũ iuuat effœminatos & puſillanimes, vt ſentit Dilucidator 8.Prob. Hali quoq; rhodoam per ĩram vehementem

concit

concitatam perſanauit militem valido algore iam congelatum ac rigidum, vt teſtatur in com.3.ar.p. Excitanda igitur eſt in frigidis affectibus, & in his quorum cor & caput natura frigidiora ſunt. Vitanda verò, quum cor & caput naturali intemperie ſupra modum calida ſunt, aut calido affectu aduentitio laborant. Excandeſcentia, inquit Galenus 6.epi.com.5. cor & pulmonem contrahit, gaudium verò relaxat.

Si ira ratiocinatrici coniuncta ſit, vt Galenus ſentire videtur 5.de plac. ſiq; omnia potentiæ animalis opera in cerebro exerceantur, vt idem in 7.innuit, cor omnium perturbationum organum dici nequit, niſi huiuſcemodi pathemata ad cor referantur, propter ſpirituum ad interna, & exteriora motum. Rurſus iram Galenus ab iracundia ſeparat. Irati, inquit p.epi.com.2. ſunt magnanimi, & humilium rerum contemptores, iracundis maximè contrarij: hi enim quia temperamento ſunt frigidiore, & difficilè perſpirabiles, puſillanimes, nec generoſo, viriliq; animo ſunt. Sed alia Senecæ videtur ſententia lib.primo de ira. Apud quē ita ſcriptum eſt, Ira quo diſtet ab iracundia,

apparet, quo ebrius ab ebrioſo, & timens à timido. Iratus poteſt non eſſe iracundus. Iracundus non poteſt aliquando iratus non eſſe. hactenus Seneca. Refragari Galeno etiam videtur, quod Alexander Magnus animoſus, ſi quis alius vnquam fuit. Qui ob multum innatum calorem, odorato corpore, iracundusq́; j.ſympoſ. à Plutarcho pingitur. Et ſi verò Galenus iracundiam non pro iræ exceſſu, veluti Ariſtoteles 2.ethic. ſed pro veloci ad iram inclinatione accipiat, eſt tamen vbi cum iracundia iram confundat, iracunda inquiẽs animalia lati pectoris ſunt & calidiora, 5.de placitis Hippocr.& Platonis.

Anxietas, quæ & angonia dicitur, cùm ſanis, tùm ægrotantibus ſemper noxia: ſed verecundia quamuis iuuenili ætati tantùm conueniat, ex ſententia Ariſtotelis 4.ethic. conferre tamen poteſt ictericis, pallidis, & decoloribus. etenim pudore affectis naturalis calor augetur, 2.de t.ſ. quòd in verecundia primum intro agitur animalis potentiæ motus. Deinde rurſum foras celeriter verſus, 2.de cauſ.ſymp.

Nec aliter relata corpus noſtrum pathemata

mata immutant, niſi quatenus ſunt ſpirituum, naturaliſq; caloris motus cauſa, vt explicat Hali Rhodoam 3.ar.par. Immutant autem non tantùm ad primas, ſed etiam ad ſecūdas qualitates. Nam pallent, qui metuunt: rubeſcunt, qui gaudent: erubeſcunt quos puduit, vt ait Aphrodiſeus prima prob. 11.13.14. Non diſpariliter alterant phantaſiæ ſenſus, lib. de motib. animalium. Extimationes mouent humores, prima primi. Ob id rubens color ſanguinem expuentibus nocet, hoc eſt, hæmoptyſicis lib. de ſubfigur. empirica. Ægrotantis confidentia remedijs reliquis omnibus præſtat, vt tradit Auicennas 4. ſexti nat. cap. penul. Adde erotos, qui ex nimio amore inſani, ægrotant, ſiue id mali ex veneficio contingat, ſiue ex otio, aut philtris. Quid? quòd non modò proprium corpus, ſed & alienum immutare poteſt imaginatrix facultas; quod in natorum effigie conſpectè pateſcit. Nam hauſta imago ſub ipſo conceptu ſimilitudinum reputatio eſt, vt prodit Plinius 7. nat. hiſtor. c.p. Galenus etiam ex vehementi vtriuſlibet parentis cogitatione, pulchros liberos effingere monſtrat, lib. de theria. ad Piſonē.

Plerunque etiam coëuntes ad prolem, vultus quos ipsi tunc vel agunt, vel imaginantur, solent nasciturìs filijs imprimere. Inde ridiculæ facies ortum habere queãt, vt illæ, de quibus Martialis,

Dicis amore tui bellas ardere puellas,
Qui faciem sub aqua, phœbe natantis habes.

Rursus,

Vtere lactucis & mollibus vtere maluis.
Nam faciem durum phœbe cacantis habes.

Deformis etiam fuit illa facies cum nasi indecentia, quæ Traiano principi iocandi ad hunc modum materiam præbuit,

Oris hient rictus, soliq; opponito nasum,
Ostendes horam dentibus ipse tuis. Naso videlicet gnomonis instar in dentes vmbram proijciente.

Ab imaginatrice quoque potentia non paruam ducunt efficaciam admurmuratæ incantationes. Quæ alioquin per se vanæ atque inutiles sunt, quod Galenus 6. s.& Philostratus 7. de vita Apollonij testantur,

Febrem vario depelli carmine posse
Vana superstitio credit, tremulæq; parẽtes, vt canit Samonicus.

Vana quoq; fascinatio: nisi ista in causis natur

naturalibus,ſiue corporum defluuijs,aut in animi affectibus eſſent repoſita, vt cenſuit Plutarchus 4.ſympo. Hinc etiam eſt, quod carmina remedia vulnerum eſſe, poſt veteres,hoc eſt,poſt Homerũ,Apuleius etiam aſſeruit,lib.de Magia. Inde Lucanus:

Mens hauſti nulla ſanie polluta veneni
Incantata paret.

Scienter igitur Galenus non paruipendere animi motus iuſsit,lib.de exerc.par.p. Imò verò longè magis quàm corporis obſeruare, tùm quòd corpore dignior eſt anima,tùm quòd naturalis calor intra ſanitatis limites, non magis corporis, quàm animi exercitijs cuſtoditur, modò moderata fuerint.Ex vſu enim opportuno cauſæ conſeruatrices aut curatrices redduntur. Inſalubres contrà, ſi modum non ſeruant.Nam ſi modum exceſſerint huiuſmodi motus, ſiue ex rationali, ſiue ex animoſa, ſiue ex appetitoria animæ parte cientur, bilioſum animal reddunt.Si verò intra modum nimium ſubſtiterint,pituitoſum efficiunt.

Iure ergo multas Æſculapius ſcribi cantilenas,mimosq; ridicularum rerum fieri,& melodias quaſdam his inſtituit, quibus ve-

hementiores animosæ partis motus, corporis temperaturam iusto calidiorem effecerunt. Alijs quibusdam venari, equitare, atq; armatos exercitari iussit, quò animosa pars imbecilla excitaretur. Proinde in Carmide rectè à Platone dictum est, corpus totum ab animo ita pendere, vt nisi animus bene valuerit, corpus bene valere nõ possit: quãdo nec præsentem corporis sanitatem tueri, nec lapsam curare licet, nisi pathematis ad debitum motum reuocatis. Ex quibus palàm, manifestumq; fit, quòd non modò ad moralem philosophum, sed ad Medicum etiam animi mores componere, formareq; spectat. Cui sententiæ Neocomensis quoq; suffragatur. Inde illud ex Græco epigrammate,

Produxit nobis Asclepion atque Platonem
Phœbus, vt hic corpus curet, & ille animã.

Est igitur ex Medico non tantùm corporis, sed etiam animi sanitas.

In anima autem perniciosæ gignuntur perturbationes ex mala vita, ex inscitia, ex corporis dyscrasia: nam propter malam vitam, honestè à pueris non educati, vt affectionibus possimus dominari, in ipsarum

dominantiam incidimus. Ob imperitiam verò falſa iudicia in parte rationalis animæ educantur, adeò vt mala vtilia eſſe putentur,& vtilia mala. At ex corporis intemperie,ſiue ex vtero ſit natiua,ſiue aſcititia,deprauatæ naſcuntur paſsiones: abundeq́; à Galeno comprobatũ eſt, animi mores corporis temperamentum ſequi. Atqui temperamenta Medicus optima ſeruare,lapſaq́; emendare,atque tranſmutare poteſt, ita vt in eius poteſtate ſit, admirabiles efficere metamorphoſes: veluti ſunt ex malis, homines probos reddere, ex auaris liberales, ex vinolentis ſobrios, ex ſalacibus & venereis caſtos, ex puſillanimibus & timidis, audaces & animoſos. Idq́; non ſolùm potentibus herbis,& pharmacis,verùm ex proba etiam cuiuſque horum cibi, potionis,exercitationis,videndi,audiendi, loquendi,conſuetudine. In qua contineatur quicquid leges tam ſacræ quàm ciuiles, tam veteres, quàm nouæ, tam publicæ quàm priuatæ, ſiue in pœnam comminantur, ſiue pollicentur in præmium.

Ad hunc ſanè modum affectuoſa animæ pars moderata motionibus, rationisq́; im-

perijs obtemperans efficitur. Cui rationalis imperare & dominari non minus debet, quàm auriga pari iugalium. Quod in vniuersum virtuti esse suum scribit Aristoteles, lib. περὶ ἀρετῶν. Nec rationali duntaxat sua perfectio, siue virtus inest, videlicet sapientia, prudentia, & scientia: sed etiam irascibili fortitudo seu virilitas, & appetitoriæ temperantia. Ex quarum trium facultatum symmetria mutua, iustitia suboritur. Quamobrem vir iustus esse nequit, nisi idem sit temperans, fortis & sapiens. Talis fuit Moses, qui teste Iosepho imperabat affectionibus ita, vt ne quidem videretur vlla earum inesse animo eius, vtq; cognosceret solum nomen earum, magis ex eo, quod videret eas in alijs, quàm ex se ipso. Iure igitur Lucretius, quinto de rerum natura, perturbationum victorem Deorum albo adscribit, his versibus,

Hæc igitur qui cuncta subegerit, ex animoq;
Expulerit dictis non armis, non'ne decebit
Hunc hominẽ Diuûm numero dignarier esse?

Istis congruit Pythagoræ dogma, iuxta quod vita hominis regenda est: cuius meminit Lãdus in suo de bona valetudine ele-

ganti

ganti opuſculo. πῆ παρέβην, τί δὲ ἔρεξα, τί μοι δέον, οὐκ ἐτελέσθη. hoc eſt, quid exceſsi? quid admiſi? quid omiſi? Ad quod alluſsiſſe videtur Poëta his carminib.

Non prius in dulcem declinant lumina ſomnum,
Omnia quàm longi reputarit acta diei:
Quæ prætergreſſus, quid geſtũ in tẽpore, quid non,
Cur iſti facto decus abfuit, aut ratio illi.
Quid mihi præteritum, cur hæc ſententia ſedit,
Quam melius mutare fuit, &c.

De temperamentorum ſingularumq; ætatum regimine. Deq; nutricis delectu.

CAP. VIII.

HOMINIS temperati ſigna potiſsima ducuntur ab eſſentiæ ratione, id eſt, ab animo & corpore. Ab animo quidem, vt medius ſit audacis & timidi, iracundi & ignaui, pręcipitis & cunctatoris, miſericordis & inuidi, callidi & hebetis, libidinoſi & inſenſati: à corpore verò ſi bonam in ſimilaribus temperaturam, & concinnam in organicis ſtructuram obtineat. Erit autem concinna ſi omnium corporis partium æqua proportio ſtructuræ coniuncta ſit. Sic, vt caput trun-

co corporis, & his vtriſque reliquæ partes ſiue membra reſpondeant: veluti in Polycleti puero, ex quo artifices liniamenta artis, tanquàm à regula quadam petebant, vt refert Plinius 33. nat. hiſt.

Horũ exacta ratio ſecundùm Vitruuium lib. 3. de architectura exiſtit, vt facies à mento ad frontem ſummam & radices capilli, ſit decima longitudinis pars: facies autem in tres partes æqualiter diuiſa eſt, videlicet ab imo mento ad imas nares, ab his ad finem medium ſuperciliorum. Ab hac fine ad imas radices capilli. Faciei pares ſunt manus palma, à carpo ad extremum medium digitum (quæ & maior palmus dicitur) & pedis planta. Qua aliquoties repetita proceritatem qua fuit Hercules dum viueret, Pythagoras reperit, apud Plutarchum & Aul. Gellium. Octaua altitudinis pars eſt à mento ad ſummũ verticem. Sexta à ſummo pectore ad imas radices capilli. Eſtq; modus, ſpaciumq; pedis. Quarta à ſummo pectore ad ſummũ verticem. Quæ item cubiti & pectoris menſura eſt. Reliqua quoq; membra ſuos commenſus habent proportionis: nã vt tota manus faciei æqualis eſt, ſic certis

oris

oris partibus digitorum particulæ reſpondent, vt tradit Meſsia in ſyl. varia. lect. Nempe maius pollicis os, ori hianti & aperto par exiſtit, æquatq́; ſpacium, quod ab imo mento ad proximum labium ineſt. Minus verò os, quod à ſuperiori labio naſo ſubiacet, hoc eſt μύσταξ, metitur. Os indicis maius frontis latitudini æquale eſt: duo minora naſi longitudini æquabilia ſunt. Quod à mento ad ſummum naſi interceptum interiacet, à medij longitudine digiti ſuum habet modum. Sed & vngues ſingulos eſſe menſus quartæ digitorum partis euidentiſsimũ eſt. Addit Plinius 11. nat. hiſt. quòd pollici minimus digitus menſura par, duoq́; reliqui ſibi inter quos contractos medius longiſsimè protenditur, eoq́; à pudendi effigie à nonnullis parum pudicis impudicus appellatur. Porrò moderatam hominis ſtaturam eſſe volunt, quæ ſex pedes habeat: craſsitudinem verò huius dimidium: ſumiturq́; craſſitudinis dimenſum ex zona, per pectus & dorſum ſub alis circumacta. Non placẽt Caſtalioneo, qui Aulicum pinxit, ſtaturoſi, aut gigantes, & qui proceritate ſeptem æquant cubita. Qualem fuiſſe Oreſtem narrat Herodot

rodotus lib. primo, qui inſcribitur Clio. nec idem in ſuo Aulico commendat ſtilpones & pygmæos, quos cum gruibus pugnare & Homerus & Strabo affirmant. Horum qui longiſsimi ſunt, duos & quadrantem pedes non excedunt. Sanè pumila, quam in delitijs Regina habet, bipedanea ſtatura tam minor eſt, vt longitudine vix pedem cum dimidio ſuperet. Tyrones ex proceritate, quæ ſenos etiam pedes, vel certe quinos & duas vncias haberet, Vegetius eligit, pes autem geometricus ſubaudiendus eſt. Qui conſtat quatuor palmis minoribus. Minorq́; palmus quatuor digitis in tranſuerſum ductis diffinitur. Sed in huiuſmodi proceritate fruſtrà Vegetius deſiderat longiora brachia: ſiquidem obſeruatum eſt, quod etiam Plinius teſtatur, 7. nat. hiſt. hominis ſpacium à veſtigio ad verticem, id eſſe ſparſis manibus inter longiſsimos digitos. Auguſtũ ſtatura breuem ſcripſit Tranquillus. Attamen fuit ille quinque pedum & dodrantis, vt Marathrus memoriæ prodidit. Verùm homines in dies minores fieri cum Homero credidit Plinius 7. nat. hiſt. eoſq́; creſcere in longitudinem ad annos vſque ter ſeptenos,

nos, tum deinde ad plenitudinem: atq; in trimatu ſuo cuiq;, dimidiam eſſe menſuram ſtaturæ.

Qui igitur optima corporis temperie, compoſituraq; exiſtit, ad conſeruationem hæc in qualitate, quantitateq; poſtulat: in exercitationibus eas, quæ moderatæ ſunt. Quæ etiam in ſingulis corpotis partibus æqualiter adhibentur. Idq; omni vitato exceſſu, aut ſicubi fuit erratum, errore correpto. In edendorum bibendorumq; natura ſimiliter qualitatis & quantitatis mediocritas ſeruanda, vt nec plura nec pauciora capiat: ſic enim nihil relinquet, quod ſuperuacaneum ſit, vel deficiens. Ad eundem modum in ſomnis & vigilijs, balneis, animi actionibus, & alijs id genus, medium omnis exceſſus ſeruari debebit. Quod ſi in aliquo ſit erratum, corrigendus error eſt, per contrarij exceſſus vſurpationem.

Bilioſis & quibus mordax calor à natura eſt, adeò vt fumida gignantur excrementa, balneum ſalubre eſt, tum motus exiguus & lentus. Multus autem & celer aduerſiſsimus eſt. Itaq; iſtis non ſemel modò, verùm etiam bis in die lauari cõducet, potiſsimum æſtate.

te. Esse quoque boni succi nutrimentum oportet, in quo nihil sit acre. Apricatio & in sole versari, irasci, & multum cogitare his inimica sunt. At in his, qui ad vltimum sunt graciles, ac liberaliter refici postulant, nisi multo plus sit quod apponitur, quàm id quod euacuatur, pristinus restitui habitus nunquam poterit.

Qui frigida & humida temperie sunt, diuersam victus rationem desiderant, & valentiores cùm animi, tùm corporis motus, victumq; extenuantem. Nec læduntur si in Sole exerceantur, nec si balneo abstineant.

Calidis & humidis plus laborandum est, propter corporis humiditatem: præceleri motu non vtendum propter calorem. Sed quum ex segniore victus ratione ad exercitationes se transferunt, illico fluxionũ tentantur morbis, nisi prius sint euacuati quàm exercitationes adeant. Vere morbis ex plenitudine obnoxij sunt. quare occupare eos per veris initiũ sanguinis detractione oportet, vel purgandi pharmaco sunt, non simplicis facultatis, sed quod detrahere flauam bilem, pituitam, & serosa posit. Balneumq; his non tutum est, nisi prius inanitum cor-

pus

pus ſit. Inanito vtile, id potiſsimum cuius in ſolio aqua vim per halitum digerendi habeat.

An his vinorum vſus abdicandus? In calidis naturis, inquit Hippocrates 6. epi. aquę potio, quies, ſomnus, ſed de naturis ſummè calidis, quæ per intemperiem tales intra ſanitatem non ſunt, dixiſſe videtur. Non de his, vt Galenus explicat 5. de t. ſ. quæ plurimum habent naturalis caloris. Quibus mediocre profectò dandum eſt vinum, hoc eſt, exiguum & dilutum: ſicut eorum temperatura mediocris quoque eſt. Ad hunc ſanè modum, quum quietem calidis naturis ſuadet Hippocrates, vehementiori motione vti vetat.

Frigidis ſiccisq; complexionibus non vinum modò, ſed pleraq; omnia, quæ ad victus rationem ſenum præſcribuntur, accommoda eſſe feruntur.

Inſuper in naturis omnibus intemperatis præceptum eſt, quòd illæ corrigendæ ſunt contraria victus ratione, dum in otio ſunt, & per multum otium: ſeruandæ verò ſimilibus, quum per negocia ſibi vacare non poſſunt, potiſsimùm quum ita fuerint

aſſuetæ.

assuetæ. Nec assuetudines ipsæ tametsi prauæ sint, dispicientibus adhuc sibi corporibus sunt mutandæ. Quin nec per summam sanitatem, inquit Galenus, semper id tentandum: sed quum is, cui mutandæ sunt, à ciuilibus negotijs maximè vacat.

Iam verò in ætatum regimine ab ipsa infantia ordiri consentaneum videtur: scribit autem Hippocrates 6. epi. γάλακτα εἶναι ἀδελφὰ ἐπιμηνίων, id est, lac cognatum seu fraternum esse menstruis: nam in vtero fœtus alebatur materno sanguine. Ex quo in mammis lac gignitur, vt ait Galenus p. de t. s. sed ambigitur, matris'ne, an nutricis lacte infans alendus. Extat Phauorini Philosophi apud Gellium 12. noc. Att. dissertatio, qua suasit nobili fœminæ, vt liberos quos peperisset, non nutricis, sed suo sibi lacte aleret. Sanè vtilissimum cuique maternum vt sentit Plinius 28. nat. hist. modò sana, bonisq; moribus prædita parens sit. Si verò nutrice sit opus, illa deligi debet iuxta infantuli temperamentum, prout conseruandum est simili, vel corrigendum contrario nutrimento. Quod autem nutrix necessaria sit, satis indicat Aetius lib. 4. præstat, inquiens,

quiens, non accipere matris lac vſque ad quartum diem: imò vſque ad duos menſes, vt ſentit Auicennas 3. primi. Quorum ſententia ſi vera ſit, infanti à natura haud ſatisfactum, nutricisq́; vſus neceſſarius eſt. Accedit iſtis, quod ferunt eos, qui biduo à partu maternum lac guſtauerint, coloſtratos fieri, denſato in ventriculo lacte in caſei ſpeciem. Quod mirum videtur, ſi lac in recens enixis ſit aquatius. Eſt autem coloſtra prima à partu ſpongioſa denſitas lactis: vt diffinit Plin. 28. nat. hiſtor. Nutrix tamen vitanda, ſi morbis & præcipuè grauibus ſit obnoxia, ſi moroſa cerebroſaq́;, ſi vinolenta, ſi abortiuerit, ſi prægnans ſit: ne puellulus malitiam cum lacte nutricis imbibat. Nec temere creditum eſt, quòd ſicut valet ad fingendas animi corporisq́; ſimilitudines vis & natura ſeminis, non ſecus ad eandem rem lactis quoque proprietates valere. Neq; in hominibus id ſolum, ſed in pecudibus etiam animaduerſum. Nam catelli robuſti atq; veloces ſed timidi fiunt, ſi ceruas aut damas, audaces contra & proterui, ſi lupam vel leænam lactent. Itaque ouilli aut caprini lactis vſu cicurantur leonculi,

pardorumq́; catuli, & ferarum id genus. Addit Macrobius in Saturnalib. ſi ouium lacte hædi, aut caprarum agni alerentur, in his lana durior, in illis pilus mollior naſceretur. Ex quibus etiam conſtat, per lactis alimoniam mores nō modò brutis, verùm etiam pueris infundi. Quod poëta oſtendit his ſenarijs.

Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus autor
Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, hyrcanæq́; admorunt vbera tygres.

Nutrix commēdatur ab Aetio loco præcitato, quæ non ſemel tantùm, ſed iterum atque tertiò peperit, vitalem ſcilicet & ſanum, quiq́; ex nutricis lactatu ſucculentus, euſarcosq́; ſit factus. Præſtabilis eſt Auicennæ, quæ maſculum enixa eſt: mihi quę fœminam peperit præſtantior videtur pro infantiū alimonia, quorum intemperies lacte frigidiore & humidiore corrigenda eſt. Mammas laudat Auicennas ſolidas, inter duras & molles mediocres, ſed Aetio diſplicent magna vbera, & parua, illa quia nimiū, hæc verò quòd parum lactis exhibēt. Adde quod ex magnarum ſuctu reſimi aut ſubſimi infantes redduntur. Magnę item papillæ

offend

offendunt gingiuas: paruæ maxillas, quòd ægrè appræhendi possint. In lacte probantur color candidus, consistentia, quæ non plus casei quàm seri contineat, hoc est, inter crassam & liquidam æqualis, sapor dulcis, odor gratus, ex Galeni p.de t.s. & Auicennæ 3.primi sententia. Tametsi Aristoteles 3.de natura animal. crediderit lac esse commodius lactantibus quòd liuorem contraxerit, quàm quod candidum est. Nec omne lac candidum: constat enim ex Plinio quod & Gaudentius Merula libro memorabilium adnotauit, lac nigrum gigni ab his ouibus, quæ in Ponto campos & prata tondēt, quæ Astaces amnis irrigat. Lac post partum liquidissimum, 3.de alim. (contrariū tamen legitur lib.de dissol.cont.) ideoq; insalubre. Lac etiam iandiu enixæ in totum damnatur. 3.primi: temporis enim progressu à partu magis crassescit, 3.de alim. In nutrice porrò corporis habitus nec nimium gracilis, nec admodum obesus placet Æginetæ lib.p. sed carnosus cum ceruice valida, & lato pectore. Quæ sunt de temperatæ craseos notis, 2.art.par. Paulo etiam placet ætas mediocris: ita vt minor, viginti quinq;

annos non compleuerit, grandior triginta non excedat. Vnde mediocrem ętatem dicere videtur eam, quæ non longe diſtat à temperata, quæ puberum adoleſcentumq; eſt, vt ait Galenus com. in Polyb. de r.v. priua. Inſuper ad nutricis præſtantiam plurimum confert faciei elegantia. Etenim prodigioſæ formæ plerumq; emota ſunt mente: quoniam corpori conſentiat anima, vt animæ corpus, vt retulit Caſſius in ſuis Probl. & Razes in ſuis aphoriſmis. Mores poſtremò & quos habet nutrix inſitos, & quos educatione ſibi comparauit, obſeruandi ſunt. Quandoquidem lac bilioſum reddere, pituitoſumq; poſſunt, & perinde infantuli immutare temperamentum, vt dictum iam eſt. Nam quòd alitum ab alimento mutari poſſit, ſcitè explicuit Ariſtoteles 3. de natura, & 5. de gener. animal. & Galenus 3. de cauſ. ſympt.

Regimen nutricis.

Abſtinere igitur nutrix debet ab immodicis animi affectibus, à venere etiam, à qua incidit triplex noxa: vel enim menſes prouocantur, vel lac odoris gratiam in deterius mutat, vel ſi conceptio fiat, ſanguis optimus in fœtum abſumetur, vitioſo pro

lacte

lacte relicto, vt ſcribit Galenus p.de t.ſ. Inſuper à venereis concupiſcentijs ſanguinē corrumpi teſtatur Moſes in ſuis aphoriſ. Eſt igitur venus reprimenda vſu lactucæ, conſeruæ nymphex, & eſu palumborum. Idem præſtat ſi nutrix viticis ſiue agni folijs toros & cubitus ſibi ſternat. Præter hæc nutrix ante cibatum moderatis animi & corporis motionibus ſe exerceat, cibisq; veſcatur citra ſaturitatem tempeſtiuè, ordinateq; quī facilè concoquantur, atque ſucci vitio careant. Quippe ex praui ſucci lacte cuiuſdam infantis corpus vlceribus fuiſſe refertum 3.de alim. Galenus enarrat.

Regimen infantis.

Infans recēns editus rationem victus humidam ſibi adhibere poſtulat, vt qui cæteris ætatibus temperamento ſit humidiore. Lacte idcirco pro alimonia vti debet, quoad primores dentes emiſerit. Emittit autem in ſeptem primis menſibus, teſte Herodoto lib. introd. & Ægineta lib. p. Lauandusq; eſt balneis aquæ calentis, quò corpus molle quàm diutiſſimè ſeruatum ad plurimum augmenti perueniat. Dimotio mediocris quæ fit in cunis, vel lectulis pendentibus, aut nutricis vlnis, vocisq; modulatio dolorem le-

nit, atque somnum conciliat. Estq; illi adeò suauis, vt hoc ipso testificetur natura ad musicam & exercitia puellulum esse propensum, vt Galenus ait p. de t. s. Itaque vt paruulorum animos extimulent ad cibum, nutrices solent etiã nænias occinere. Quarum illa Pontani lepidissima censetur,

Quis puer hic? age Lisa tuas absconde papillas,
Hic puer en illas surripuisse parat.
Lisa tege, en tege Lisa tuas, tu ne improbe, tu ne,
Lucioli mammas surripuisse paras?
Luciole huc propera, propera nunc candide Luci.
Ille malus properat, tu prior ante veni.
Vicisti, atq; hanc ore premas, hanc corripe dextra.
I puer hinc aliâs, i male quære alias.

Verùm puero per se moueri tum primũ ei licet, quum repere cœperit: magisq; etiã quum ingredi. Immaturè verò cogendus non est, ne crura eius pondere vitientur. Ante lactatum parũ flere, pauxillumq; mellis lambere, commodum putat Auicennas, ac bis in die, aut plurimum ter lac sugere: nam si alimento repleatur, somniculosior euadet, & torpidus. Venter intumescet, & vrinæ aquosiores reddentur. Tunc verò nihil exhibere oportebit, donec cibos prius

ingest

ingeſtos conſumpſerit, vt rectè conſulit Ægineta.

Noſtrates ab Antiquorum decretis variant: recens nanque natos balneo in concha tẽperato obſtetrices lauant, lotos mollibus linteis abſtergunt, faſcijsq́; deligant, ac inuoluunt: nec ſale iuxta Galeni & Auicennæ placitum inſpergunt. Sanè non adeò neceſſaria ſalis aſpergo videtur, quoniam in infantibus ac pueris denſiſſima cutis eſt. Quod & Galenus ipſe 3. ſimpl. & 3. de temp. aſſeruit. Sed potius in frequenti & nimia lactatione aberrant. tum quod præter lac, pultem ſeu edulium à Galeno damnatum p. de alim. quod ex farina triticea & lacte per ebullitionem concinnant, vel anniculis ſubinde ingerere, & propinare nutrices ſolent.

Ablactare autem pueros ante duos annos moris eſt, cui cõſuetudini Paulus etiam ſuffragatur. Abundè, vt inquit, fuerit, duobus annis lacte infantes enutrire. Inde ad cibos ſolidiores tranſgredi: primum panem mox legumina, ac carnem & ſimilia, omnia prius commanſa illorum oſculis immittere, oportet. Equidem pro commanſis edulijs

in Regalium natorum educatione, ſalubres propinare iuſsi ſorbitiones, quæ fiunt ex pane, ſimila, amylo, amygdalis, farre, ordeo, piſis, & id genus alijs, aut molle panis maceratum in iuſculis carnium, hædi, veruecis, vituli, manzaris, gallinæ. Interdum cum ala capi elixi minutatim diſſecta, aut cum pectuſculo phaſidis aſſi, vel cum poplitibus perdicis aut attagenis cōciſis. Vinum pueris, ac multo minus infantulis, ne guſtare quidem eſt vtile. Cauebamq́; ne à matutino ſomno, eoq́; longo ſurgerent ante moderatam frictionem, cui ex Galeni conſilio, oleum dulce miſcendum erat. Moderatam aio, quoniam caro nuper coacta mollis eſt, caſei modo qui recens cogitur, vt idem ait com. 2. de offic. chirur.

Dolicos ſeu ablactatos, qui tertium aut quartum annum agunt, non modò ambulatione, ſed, vt vult Galenus, & vehiculo & nauigio modicè agitare licet. Nam in infantia membra nati nondum ſunt prompta ad ambulationem, vt exarat Auicenna prima primi.

Pueri perinde atque infantes propenſi ad exhalandos, digerendosq́; corpori ſuccos

cos ſunt: tùm ob habitus mollitiem, tùm propter temperamenti caliditatem, vt apud Galenũ 4.r.a.& 9 ther.ſcriptum extat. Illis igitur copioſa victus ratio debetur. Quod Hippocrates affirmans, p.aph.14 & 16.qui creſcunt, inquit, plurimum habent calorem innatum: plurimo ergo egent nutrimento, alioqui corpus abſumitur. Inſuper victus ait humidus pueris maximè confert, non tamen omnis: nam vinum pueritiæ circunciditur, quòd hauſtum humectat nimium, corpusq; calefacit, tum halitu caput replet his, qui temperamento ſunt humido calidoq;. Ex plurimo item cibo, nimioq; ſomno, vt ex Varrone adnotauit Gellius 4. noct.atti.pueri impuberes, hebetiores fiunt & corpora eorum improcera, minusq; adoleſcunt.

Sciendum autem quòd pueritia æſtatis principio optimè degit, vt tradit Galenus 3.aphor.com.19. Ex quo ſequitur quòd ſtatim à pueritia frigori aſſueſcere non confert, vt autumat Ariſtoteles 7.polit.& Galenus p.de t.ſ.aliquorum Germanorũ agreſtes mores damnat, apud quos infantuli quàm primum erant editi in lucem, demer-

gebantur in frigidam, ceu candens ferrum in frigidum humorem ſubmergitur, vt & roboretur corpus, & periculum de vigore ipſius ſumatur. Scitè tamen Ariſtoteles & peritè dixit, ploratus ac eius interruptiones pueris vtiles eſſe ad augmentum, quum ſint quodammodo exercitationes corporum. Quas valentiores pueritia tolerat, quàm infantia, propter maiorem quam habent in membris firmitudinem, ità vt ſeptennes equitare concedat Galenus.

Hoc etiam ætatis animum finxiſſe aptiſſimum eſt: etenim ſi per hebdomadas vt placet Ariſtoteli præallato loco, diuidenda ſit diſciplinæ ratio, ætas diſciplinis idonea ſeptēnis erit. Primùm igitur à turpibus prohibendi pueri: ea enim, vt inquit Ariſtoteles, diligimus natura, quæ prius nobis occurrerunt, & probis conſuetudinibus inſtituendi, quæ morum ciuilitatem, & animo modeſtiam pariant. Nam quæ in pueritia diſcimus, vt ait Plato in Timæo, diutius, firmiusq; meminiſſe ſolemus. Hinc illud Horatij,

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu.

Ephebia

Ephebia & tota puberũ adoleſcentumq; ætas ſecundùm Galenum com.in Polyb.de rat.vict.priuat.optimo temperamento con ſiſtit. Quocirca vere optime degit, 3.aph. com.19.& victum exigit tẽperamento medium, ſi ab ætate & conſuetudine ſimilium adhibendi indicatio ſumenda ſit,vt cenſuit Galenus p.aphor.com.16. Ephebiæ quoq; vt optimo corporis ſtatui, ex omni ſalubriũ cauſarum genere,adhibenda eſt mediocritas. Itaque puberes vt natura ſunt robuſti, pluribus aſſueſcendos eſſe laboribus declarat,modò in his non fiat exceſſus,per quem intempeſtiua duritie corporis inhibeatur auctio. Qua ex re, his gelidæ lauacrum vetitum eſt.Synephebos moralis philoſophiæ non eſſe conſentaneos auditores,opinatur Ariſtoteles p.ethico.ſed Plato hos ad militiam, & vitæ officia inſtruere, & præparare videtur 7.de legib.& Paulus artibus liberalibus ac mechanicis, exercitijſq; pluribus incumbere Adoleſcentes iubet, vt animo & corpore laborantes à libidinis impetu coarceantur. Simplicius ſuper ethica Ariſtotelis iuuentutem, quæ philoſophiæ addicitur, eam, inquit, à moribus auſpicari

oportet,

oportet, quum frustra scientię naturalis aut diuinæ meditationem tenemus, nisi prius cupiditates animi abijciamus.

Iuuenes vel similibus seruare oportet, 3. art. par. vel corrigere, & in meliorem temperiem mutare contrarijs causis. Quæ pari interuallo in vtraque oppositione à medio in vtranque partem secedant, p. de alim. Vnde his hyems maximè confert, 3. aphor. Vinumq́; his administrandum, quia humectat & nutrit quicquid modicè siccatũ est, tum bilis amaræ acrimoniã mitigat & frangit, perq́; sudores & vrinas euacuat. Sed parcè sumendum, quoniam ad iram & libidinem facit præcipites, & partem animi rationalem hebetem turbidamq́; reddit, vt scribit Galenus. Aetatum hæc sola nuptijs congruere videtur, ex Hesiodi sententia. Seniorum enim fœtus, ceu adolescentium imperfecti sunt, & corporibus & intelligentijs, 7. politic. At iuuenes propter animi & corporis robur idonei etiam sunt ad gerenda omnia opera, quæ pertinent ad rem publicam. Siue ea regatur à monarchia, siue democratia, id est, populi imperio, in quo continetur oligarchia, hoc est, principatus

paucor

paucorum : & aristocratia, id est, optimatum, nobilium'ue administratio. In quibus vtrunque magistratum & satrapas intelligere licet. Multitudinis quoque partes florentes probantur, vt agricolæ, artifices, negotiatores, mercenarij. 6.polit. Probantur etiam florenti ætate vtiles in militia, & ad bellum Oribasio 5.aphor.com.10. vt pote, equites, pedites, milites expediti, impediti, leuis vel grauis armaturæ, & nautica turba.

Nec à rebus gerendis omnis senectus auocat, si consilio, autoritate, & sententia, res magnæ gerantur, hoc est, non viribus neruorum, sed ingenij. Nam quum senectę tres sint partes, viridis scilicet, adulta & pręceps. In priori adhuc obire etiam ciuilia negotia possunt. Porrò quum omnis senectus sicca frigidaq; sit, 2.de temp. gerocomice quę senum sanitati prospicit, commemoratam affectionem emendat per causas salubres quæ humectãt, & calsaciũt. Quantum scilicet humectare & calsacere senum corporis solidas partes decet. Sunt autem moderatus motus, qui per frictiones, gestationes, ambulationes, & balneas dulcis aquæ calidæ efficitur. Item cibus, potus, somnus.

mnus. Frictio matutina cum pinguitudine ſenibus vtiliſſima, quòd laſſitudinis affectũ ſanare poſſit, & imbecillam diſtributionis vim excitare: eoq́; atrophontas carne replere ſolet. hac crebra & exigua vtendum, vbi imbecillæ vires ſunt: rara multaq́;, vbi validæ. A frictione exercitium competit. Cuius formæ vtiles à tribus intelliguntur: videlicet, à totius corporis affectu, conſuetudine, & vitijs quæ infeſtant. Etenim optimi ſtatus corpus in ſenecta, ad omnes mediocres labores idoneum eſt. Qui verò partes habent parum rite ab ortu naturæ conditas, illas exercitando imbecillas, potiùs quàm firmas reddent. Niſi moderatos motus, exercitationes nominare placeat. Quæ conſueta ſunt, non laxant, & delectant. Inſueta contrà tum diſplicent, tum laſſant. Proinde conſuetis laboribus etiam ſi modicè noxijs ſenes ſunt exercendi, eorum vehementia remiſſa. Quibus caput infirmum eſt, his quæ per crura geruntur exercitia vtilia ſunt: ſicut è conuerſo qui imbecillis ſunt cruribus, hi ſuperioribus partibus exercitari iuuantur. Quæ circa veſicam & renes ſunt imbecilla, ſuperiorum etiam partium

exerc

exercitijs habent leuamen. Venter, iecur, lien ſicut ſunt in medio ſuperiorũ, inferiorumq́;, ita ſe habent ad exercitationes. Denique non exercitari imbecillas partes ſolis ſenibus conſulit Galenus 5. de t. ſ. Ex cæteris, inquit, quanto quiſque remotior à ſenio fuerit, tanto illi magis exercitanda pars infirma erit. Ad hunc etiam modum partibus infirmis, quo tempore laborant, frictio non conuenit: vbi ſanæ ſunt, conuenit: vel magis quàm alijs, & potiſsimũ ſicca. Quinetiam eos, qui certa periodo redeunt dolores, frictio declinat, ſi medio tempore, præcipueq́; ſi duas aut tres horas ante acceſsionem adhibita ſit, firmantur enim hæ partes, & conſuetas fluxiones minus admittunt, non in ſenibus modò, ſed in omni ætate.

Cibus & potus ſenibus erit ſalutaris, ſi celeriter & tutò corpus alant, 3. ar. p. Celeriter quidem, ne ſi tardiùs quod exhibetur alat, vires deficiant. Tutò verò, quia non omnem cibum & potum caloris imbecillitas conficere poteſt. Quare commendant cibos humidos, qui facilè concoquantur, vt lactis cum melle, vel mica panis, vel cum

thymi

thymi cacuminibus coctis sorbitiones. Reliquosq́; quicunque humectare & calfacere natura possunt, modò crassi succi non sint, nec excrementosi. Quo fit, vt salita omnia senibus meliora recentibus esse, affirmet Galenus. Vinum commodum est ætate medium, desecatū ac lucidum, siue id album, siue flauum sit, odore & gustu iucundum. A cibatione occasio somni opportunissima iudicatur, si creditur Aeginetæ Paulo. hinc illud poetæ,

Vt lauit, sumpsitq́; cibum, det membra sopori.

In ambiente scilicet calido. quoniam æstas senibus vtilissima existit, 3. aph. comment. 19.

Cæterùm senes, quia innati caloris pauxillum habent, ex Hippocratis sententia p. aphor. 13. & 14. Pituitosis in ventre, & in venis serosis excrementis abundant: quamobrem necessarium erit, quotidie vrinas mouere, non diureticis, sed apio, melle, & vinis, videlicet, œnomelite cum petroselino: cuius etiam vsus in senibus renum calculum arcere potest. Itaque aluum soluere iubet Galenus, si non quotidie, saltem alternis diebus: non per aloetica, quia resiccāt,

ſed oleo ante cibum abſorpto, aut oleribus ex oleo & garo, vel prunis damaſcenis in mulſo elixis, aut caricis, aut per mercurialis, marinæ braſsicæ, cnici'ue in ptiſana decoctum, vel per terebinthinam, quæ nō ſolùm aluum ſoluere citra noxam poteſt, ſed etiam, vt infit Galenus, viſcera omnia abſtergere. Conſtat itaque quod his variè vti expediet, quando corpus non afficitur à re conſueta, vt loquitur Auicennas quarta primi.

Qui autem in præcipiti ſenecta ſunt decrepiti, longam inediam minus tolerare quàm reliqui ſenes poſſunt: his enim accidit tale quiddam, quale lucernis pene extinctis, quæ continuam olei ſuffectionem exigunt. Multum verò & ſubitum ſimul, nequeunt ſuſtinere. Ob id ſæpius ac paucum exhibere oportet alimentum, vt Galenus docet p. aphor. com. 13. Ad hanc normam Antiochus octagenarius ſe ter die cibare, ſolitus erat. Et parēs meus qui centeſimum ætatis annum non modò attigit, verùm etiā exceſsit, quater, præſertim æſtiuo tempore, in quo magna ex parte meridiabatur. Ientaculum erat vt plurimū ouum ſorbile,

bile, cum pauxillo panis & vini. In merenda comesse solebat aliquot vuæ passæ acinos, aut offellam panis vino madidam, saccharo cum cinamomo conspersam, vel panis martij ex amygdalis, saccharo & strobilis, cum latice rosarum confecti bucellam. In prandio & cœna salubribus epulis moderatè vtebatur. Aluum laxabat prunis damascenis in aqua cum saccharo elixatis, prima mensa sumptis, vel holerum iusculis cum multo oliuo haustis, aut electario ex siliquæ Aegyptiæ atramento, manna cnici semine, cum melle rosato & passarum caricarumq; decocto composito, & cinamomo consperso: interdum molli clysmate. Serosa facilè expurgabat vini albi potu, & esu apij satiui, critami, nasturcij, similiumq;. Ante cibationem consuetis exercitabatur laboribus pedes aut eques: nam gestatum in sella, aut lectica non tolerabat. Domum reuersus idoneis horis, legebat citra conspicilla, scribebatq;, aut dictabat. A prandio & cœna domesticis de rebus cum vxore parente mea, & famulis disserebat. Aliquando cum amicis & vicinis, quos asiduè habebat conuiuas, latrunculis solebat, tarochis'ue

chis'ue ludere, aut tablissare. Ad hunc modum cum animi tranquillitate, sensuum integritate, ingenio vegeto, & non sine corporis robore, vixit charus principibus, & plebeis, vsque ad extremum ætatis diem, in quo sedens in sella citra dolorem & querimoniam obijt morte naturali. Talis enim mors contingere homini solet, qui diutius in senecta perseuerat, & qui sit, vt Græci dicunt νύμφαις ἰσήλιξ, id est, nymphis æquæuus. Itaq; eum calorem, qui genuit corpora, nos interficere in præcipiti senecta testatur Hippocrates in epid. Inde illud ænygma,

Qui mecum oritur, mecum moritur:
Qui me perimet, me viuificat.

Verùm si senium detineri potest ne citò ingruat, vt sentit Galenus lib. de marcore, idq; humectante adhibita victus ratione, siq; liceat senectutis tabem plurimum remorari, quod munus ad gerocomicem spectat: forsan referri inter ἀδύνατα non debet, quòd senium euitari ac sanari potest: nam quòd tolli non potest, pari ratione nec minui possibile est: atqui senectus remoratur & arcetur: ergo minuitur. Nec defuit

Philippus tempore Galeni philoſophus nobilis, qui librum edidit, quo docebat, qua quis poſſet ratione ſeruari ſenij expers. Ferũt Hiſpani in Bona, quæ occidentis eſt inſula, longo tractu vltra Hiſpaniolam, fontes eſſe, quorum hauſtu reiuueneſcant ſenes. In Hybernia eſt inſula vitę, vt memorię prodidit Vitalis à Furno Cardinalis, quæ nullũ animal venenoſum admittit, & iuuentutem quàm diutiſsimè conſeruat, & ad quamplurimam ætatem ſenectutem perennat. Id etiam certò conſtat quòd ante diluuiũ homines fuere adeò polychronij, longæuiq́;.

An quòd per diluuium vitiata pleraque omnia ſunt, quum anteà ſalubrius eſſet cœlum, alimenta præſtantiora, ratioq́; victus moderata magis. Vnde conſentaneum eſt, tunc homines naſci cum laudabili temperamento, & conſequenter cum optima corporis conformatione: eosq́; meliora ingenia habuiſſe, & natura eruditos fuiſſe, ſicq́; maximas ac præcipuas rerum phyſicalium dotes, atque proprietates nouiſſe, ex quibus in immẽſum produci vita poterat. Nam memoriæ proditum eſt Apollonium Tyaneum annulorum beneficio ſupra centum

& triginta annos ſanum ſemper vixiſſe, tametſi ille à diluuio poſt multos annos fuerit natus.

Equidem opinor vitæ fœlicitatem non eſſe ponendam in diuitijs & opulentia, nec in aulicis aut militia, nec in gloria, agricultura, aut ſacerdotum vita, nec in bonis artibus aut ſcientia, neque in voluptate aut indolentia, vt ſcitè Facius commoſtrat in ſuo de vitæ fœlicitate dialogo: ſed in vita ſana, & longa, quæ propius accedit, viamq; ſtruit atque præparat, ad illam immortalitatem, qua fœlices Chriſtianorum animæ in illis beatis ſedibus perpetuò fruuntur. Rectè igitur Satyricus ait,

Orandum eſt vt ſit mens ſana in corpore ſano.

Eſt enim, vt inquit Menander,

Εὐχῆς δικαίας οὐκ ἀνήκοος θεός. id eſt,

Precis iuſtæ exauditor Deus.

Porrò vitam producunt viperæ ſerpentumq; carnis eſus & vſus, vt tradit Auicennas. vſus quoq; ambroſiæ herbæ, vitam producere creditur, nec ratione caret quod ex proprietate fit, Card. & quæ hominis temperamento ſimilia ſunt, veluti butyrum ſecundum Iſaac. oleum Auer. oleum de Keiri

confert habentibus complexionem æqualem, Serap. oua Isaac. Radicis dulcis substantia substantiæ nostri corporis propinqua est, eiq́; valde asimilis, Serap. post Galenum. Item quæ temperiem dyscratam emendant, quæ vires, quæ corpus & membra roborant, quæ etiam sanitatem & iuuentutem conseruant, prolixam vitam efficiunt. Carnes ericij terrestris siccatæ & potæ conferunt malam habentibus complexionem & corruptam, Serap. Gallinæ pullorumq́; gallinaceorum iusculum potũ dyscrasias emẽdat, Dio. Gal. Serap. Auer. Chymos æquat ius præfatum, lac etiam potum idem præstat, Serap. & Auic. Serpentum carnes vires roborant, Auic. Aqua frigida naturales virtutes omnes in operationibus suis fortificat, quando sunt cum æqualitate, Auic. Ficus siccæ, & lac potũ ad idem pollent, Plinius. Vinum auget calorem naturalem, Alman. vitalem, naturalem & animalem, Isaac. Muscatum Auic. filix confortat virtutem, Serap. xyloaloes, Auer. Confectio de alleis, Auic. Corpus & membra fortescunt vsu sequentium, de cibis est panis similacius, Aphrodis. caro anatis, Serap.

Carnes,

Carnes, Auic. capita animalium. Alm. Caro ſtruthiocameli ſi in ventriculo cõcoquatur, Auicennas oua. Iſaac. oleum oliuarum, Auicen. vinum, Aphrod. & Plin. vua paſſa Auic. ficus, Plin. cum zinzibere & pipere ſumptę, Gal. Granata acetoſa, Iſaac. Citonia platea, pyra cocta, Plin. Caſtanea & piper, Auic. Strobili, Serap. Milium, Iſaac. Portulaca ſumpta reddit debilibus fortitudinem, Serap. ſumac. Gal. & Serap. Mẽtã, Serap. Cinamomum, Auer. Caſsialignea, Auic. Charyophyli, Auer. Crocus, Iſac. Macis & xyloaloes Auer. Calamus aromaticus, & cardamomũ maius, Serap. Gallia moſchata, Auer. Mel & ſaccharum roſatum, Meſ. Myrobolani, idem.

De ſimplicibus abſinthium, Meſ. Adianthum album, Auer. Roſa & melilotũ, rubia, glandes, & licium, ſtyrax, & terra ſigillata, Auic. Aloe, ſtæchas, ſcilla, & ſcillinum acetum, Meſ. Acacia & balauſtia, platea, galla, maſtichæ, memithæ libanum, ladanũ, pæonia, hypocyſtidos, cuſcute, cocleæ crudæ tritæ, Serap. Myrtus Alm. Oleum de lilio, roſatum, & de maum, Auicen. Rhabarbarum, Auer. Rheuponticum, platea, pauxillum li-

bani meliorem reddit ſanitatem, Ser.

De compoſitionibus, diambra & aromaticum roſatum deſcriptione Grabiel, Meſ. Aſmidarium, Auicennæ. Electarium de artemiſia, Aliabb. Roſata nouella, potio moſchata & ſtomatichum frigidum, Nicol. Theodoricum, Aliab. Theriace totum corpus incorruptum ſeruat, Auicennas.

Sanitatem iuuentutemq; conſeruant ſyrupus de abſinthio, Serap. Acetum ſcillinũ, Meſ. Sanguis anatis cum vino ſumptus ſanitatem, robur, & bonam habitudinẽ præſtat, ſi credimus Kirano. Aſsiduus cepæ vſus, Plin. Si quis quotidie maluarum ſuccum ſorbeat, omnibus morbis cariturum Plinius tradit. Myrobolani Kebulæ conditæ, ſumptæ iuuentutem tuentur, Meſ. Saturegia in cibis ſumpta corpus incolume conſeruat, Dio. & Serap. Idem præſtat ſal ſacerdotale, Nicol. Confectio Alharif prima & ſecunda vtentem in iuuentute conſeruat, Meſ. Idem præſtat lętificans eiuſdem, in capite de mania, & Kabit & donum dei, & electarium regum, Auic. Electarium Cabadi regis Aliabb. Syrupus Democriti apud eundem, à morbis omnibus vtentẽ eo conſeruat.

ſeruat. Huc etiam referunt Theodoricum magnũ, Aliabb. Theriacen, Serap. Triphera ſaracenia, Meſ. Triphera Iohannitij, quæ apud eundẽ cap. de fœtore oris ſcripta eſt. Item trochiſci de ſtella Auic. qui non permittunt vitam recedere. Electarium ex ſucco ſcillæ cum melle concinnatum, & ſumptum conſeruat iuuentutem. Meſ.

De purgantibus aloe: qui ea aſsiduè vtitur non videt in corpore ſuo, & ſenſuum inſtrumentis ægritudinem, quæ ſanabilis non ſit. Meſ. Sena conſeruat vtentem ea in iuuentute, & generat gaudium, Meſ. ablato ſcilicet humore, ſine cauſa externa triſtante. Elleborus item niger quando & cui conuenit datus, temperamentum facit melius: ob id ipſum mores quoque probatiores reddit, & corpus incolume ac velut iuuenile efficit, Meſ. autoritate Hippocratis. Catapotitia optica maiora corpus ſanum conſeruant, & minora idem pollent, Meſ.

Sunt etiam quæ ad ætatis longinquitatẽ faciunt periapta. Nam lapis heliotropia herbæ ſui nominis ſucco illitus, & geſtatus, longæ vitæ hominem & incolumẽ reddit, Albertus. Lapis lazuli corroborat, eius no-

xas aufert, animum exhilarat, corpus floridum diu tuetur, vitam reddit beatam, Mes. Chalcedonius lapis collo appẽsus vires naturales fortificat, Alber. Idem pollet Austuris cor gestatum, Kirano teste. Agates lapis creticus, Albert. Hyacinthus & sapphirus, Albert. Amuletum ex phoca, Kirani: quod arcet non modò morbos, sed etiam infortunium.

Consistentibus vtilia sunt lac, epithymũ & confectio de alleis, Auic. quæ vtentem conuertit ad formam adolescentiæ. In cuius vigore corpus seruat Triphera Iohannitij superiùs commemorata.

At senibus conferunt ambra Serap. & Auer. feniculus, Macer. ficus, Plin. Lac cum melle, Auic. Mel, Gal. Mulsum, Plin. Myrobolani Kebulæ, Auicen. hasce, Mes. Epithymum, Serap. Cartamum, Auer. Sambucus, Auic. Sarcacolla, Mes. Laser, Plin. Pharmacum de caricis, Galeni. Candican confectio, Serap. Caquebinegum, Aliabb. Medicamen eiusdem cap. de memoria læsa apud Mes. Medicamen gloriosum, Serap. Mithridatium, Idem.

Infantibus conferunt butyrum solum & cum

cum melle datum, Plin. Suffitus ex aristolochia infantes conualescere, & hilares permanere facit, Macer. Fumigatio ex artemisia omnes incursiones auertit, infantemq́; reddit hilariorem, Apul. & Syluaticus. Suffimentum ex filice herba infantem languidum conualescere facit, Idem. Infantes hilariores facit, & ab improbis tuetur suffitus ex tanaceto, Brunfelsius. Aurum adalligatum vtilissimum est. Similiter & coralli de collo suspensi, Plin. Nam gestantium animos lætificant, atræ bili aduersantes, arcētq́; effascinationes & epilepsiam, Brasauolus. Electrum flauum pueris pro amuleto appenditur, contra incantationes, dysuriam, & febrem, medetur & hoc modo colli doloribus, Io. Agricola. Pueris citiùs ambulare facit brassica satiua in cibo eis propinata, Serap. & susuf de scilla assata, Auicennæ.

Ad timorem infantium & puerorum & phantasmata pueri quum nuper ex vtero prodierint, percussi conuersione mutationeq́; circunfusi aëris compauescunt. Eorum quoq; somnia terrifica fiunt ex cibi in ventriculo corruptione, & quando vitiosi humores grauant & mordent ventriculum,

aut

aut eius os, 3. aphor. com. 25. Igitur ſi non res ſimiles ſed contrariæ remedio cõtrarijs eſſe debeãt, aër in cubiculo vbi mulier parturit, ad temperiẽ reducendus eſt, ſucciq́; acres, atque cibi in ventre corrupti deturbandi ſunt eclegmate, quod fit ex ſaccharo albiſſimo, & oleo ſiſamino, aut amygdalarum. Malos enim humores à ventriculo & inteſtinis abſtergit, teſte Nicolo.

De amuletis portatu vtilia ſunt, leporis dens & pellis, Plin. lib. 23. aſinina pellis, 28. canis fœminæ, vel delphini dẽs, 33. Fimus leporis alligatus, 28. Dens lupi adligatus infantiũ pauores prohibet, dentientiq́; morbos: quod & pellis lupina præſtat, lib. 28. c. 16. Oculus dexter vrſi ſiccatus & appẽſus timorem arcet, Razis. Lapis lazuli ſuſpenſus abigit pauorem, Serap. Idem pollet Marchaſita, Auicen. Lapis echites incolumes pueros dat viuere, atque puellas. Lapis melochites infantum curam protegit, & abigit quodcunque ſiniſtrum, Lapidarius & Albert.

Sunt qui annulos phyſicos, gemmas, & reliqua id genus amuleta negligenda cenſeant: quoniam fortaſſe abditæ deliteſcenteſq́; cauſæ, quas iſti ignorant, his in rebus habent

habentur, quæ noſci tantùm experimento potuerunt. Proinde ab inexpertis, his non creditur. At conſultiſsimi vniuerſæ de natura diſciplinæ, mirabiles in depenſis facultates agnouerunt, ad varios pręter naturam affectus arcendos & perſanandos, longè ſaluberrimas. Sic Galenus iaſpidem, pęoniæq́; radicem appendere iuſsit, vt Trallianum, Aetium, Paulum & reliquos Græcos cum Arabibus & Pœnis prætereaam: infinitosq́; ſileam recentiores philoſophos medicosq́; magni nominis doctiſsimos, & longo vſu ſpectatiſsimos. Ipſe tamē ſentio, quod contemptus deſpectusq́; iſtis duntaxat periaptis debetur, in quibus ſunt ſuperſtitiones, anilia delyramenta, & magicæ vanitates obſeruatæ. Vnde ſcitè hoc ſenario conſulit Ouidius,

Deme veneficijs carminibusq́; fidem.

At ſecus ſentire videtur Manlius primo Aſtron. his verſibus,

Linguas dixere volucrum
Conſultare fibras, & rumpere vocibus angues,
Sollicitare vmbras, imumq́; Acheronta mouere
In noctemq́; dies, in lucem vertere noctes
Omnia conando docilis ſolertia vicit.

Cui

Cui suffragatur Vergilius his senarijs in Bucol.

Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam,
Carminibus Circe socios mutauit Vlyßis,
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Equidem in alosi febrium scripsimus, nõ valere aliquid verba, aut incantamenta carminum, ratione accidentalis formę, quæ diuersa characterum in proferendo aut scribendo configuratio est. Neq; ratione significati, quod præcipua verborũ forma existit.

De medicina cosmetica, & commotica, in quibus etiam de corpulentia & gracilitate tractatur. CAP. IX.

COSMETICAM, id est, exornatoriam medicinæ partem esse testis est Galenus primo de cõp. medic. κτ τόπ. Atque huius est, vt quicquid secundùm naturã est, id omnę in corpore custodiat. Ad quod consequitur naturalis etiam pulchritudo, quæ in vegeto colore, carnis moderata copia, ac membrorum congrua coagmentatione consistit, vt idem explanat lib. ad Thrasybulum. Itaque pulchritudo ex pluriũ cõcinnitate cooriens gratia

gratia à Plautino Platonico Ammonij discipulo definitur, lib. de pulchritud. siue pulchritudo incorporea intelligatur ex virtutum splendore, siue corporea, ex sonorum modulata iucunditate, aut ex moderata corporis temperatura atq; symmetria. Hãc postremam Aristoteles primo rhetoricorũ aliam in alia ætate statuit: diffiniuitq; potius ab actione partium citra noxam ad vitam necessaria, quàm ab affectus iucunditate, præsertim in senibus. Quanquam Archelai Regis iudicio.

Τῶν γὰρ καλῶν καὶ τὸ μετόπωρον καλόν ἐστι, id est, Pulchrorum etiam autumnus pulcher est.

Cur autẽ pulchritudo mirè afficiat vnumquenque? An quod pulchrum, vt Cælius ratiocinatur cognatũ animæ est: ideo amabile, & consequenter appetibile. Appetibile verò semper bonum aut boni speciem præstat. An est potius quòd pulchrum & bonum eadem voce significatur Hebraicè, nempe tou. Vnde apparet quòd neque bonitas à vera pulchritudine, neq; hæc à bonitate seiungitur. Quod adnotauit Steuchus. Inde Periander, ἐπαίνει τὰ καλὰ, id est, lauda pulchra. Menander, ὡς ἡδὺ κάλλος

ὅταν

ὅταν ἔχει νοῦν σώφρονα, id eſt, Quàm ſuauis eſt pulchritudo, quando habet mentem ſapientem. Nec temere vulgus ex verè formoſi occurſu bonum omen ſumit, & è diuerſo turpis occurſum inauſpicatum cenſet. Itaq; turpis ſemper apud Saluſtium pro crudeli ponitur. Illud quoque ad pulchritudinem ſed vanam pertinere videtur ſcriptum à Platone & Plutarcho, quòd niueo ſpectabiles candore, vt deorum venerabantur filios: nigredine quadam ſuffuſos, vt viriles. Grypos regios opinabantur. Simos gratioſos appellabãt. At pallentes ſiue μελιχροὺς ſalutabant & oſculabantur.

Verùm commoticam, hoc eſt, fucatoriam à medicinæ partibus ſuſtulit Galenus: quoniam circa inane anxia exiſtit, vt quæ adulterinam ſiue aſcititiam inducere pulchritudinem ſatagit. Quæ in corporis ornatu nihil differt ab hiſtrionum oſtentatione, nec minùs indecens eſt, quàm fictio in moribus, vt Xenophon in œconomico proſequitur latiùs, Plato in Gorgia, & Ariſtotel. primo œconomicorum. Attamẽ Cyrus apud Xenophontem 8. Cyropædiæ ſapientiſsimus monarcha, elegit ſtolam Medicam.

dicam. Hæc enim viſa eſt ei occultare, ſi quis defectum aliquem haberet in corpore, eáq; indutos & pulcherrimos & maximos oſtendere. Familiaribus etiam ſinebat, vt oculos ſuppingerent coloribus, quo pulchrioribus quàm ſunt, oculis eſſe viderentur, & illitionibus fricarentur, vt melius viderentur colorati, quàm natura eſſent.

Equidē haud vitioſum eſſe arbitror commotica vti, & tum maximè quum dedecora pudicarum virginum, aut matronarum formam dehoneſtant. Vt omittam Medicos quandoque quaſi coactos eſſe Reginarum fœminarum, heroinarumq́; votis ſatiſfacere: quibus, vt Galenus, inquit, negare non licet. Nos igitur de his ſtrictim tractabimus, orſi primùm à forma, quæ virum neglecta decet: qua de ſic canit Ouidius,

Munditiæ placeant, fuſcentur corpora campo:
Sit bene conueniens & ſine labe toga.
Lingua neq; rigeat, careant rubigine dentes,
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet,
Nec malè deformet rigidos tonſura capillos,
Sit coma, ſit docta barba reſecta manu.
Et nihil emineant & ſint ſine ſordibus vngues
In quæ caua nullus ſtet tibi nare pilus,

Nec malè odorati sit tristis anhelitus oris,
Nec lædet nares virq́; paterq́; gregis.
Cætera lasciuæ faciant concede puellæ,
Et si quæ malum quærat habere virum.

Ab his operæpretium videtur, vt de corpulentia augenda & minuẽda agamus: deinde in remedijs quæ pilorum cutisq́; vitia emendant totum negotium transigemus.

Crassities & gracilitas aliquando totius corporis, vel singularis cuiusdã partis morbus est, lib. de differ. m. & 14. ther. Interdum verò non morbosam dispositionem sed lapsam ab optima sanitate sequuntur. Quippe vt calidior sicciorq́; temperatura gracile corpus, ita contraria obesum reddere solet. Quod ex notis sane craseos liquet, 2. ar. par. Porrò obesitas si nullam inferat grauitatem, non admodùm culpanda, vt sentit Auicennas 7. quarti. Quoniam in humiditate vita existit, vt dixit Aristoteles lib. de long. & breui. vitæ. Est tamen vbi polysarcia, bonusq́; corporis habitus exercitatorum pauenda affert pericula, quæ explanantur p. aphor. com. 3. Quemadmodum enim gracilitatem externis iniurijs constat esse obnoxiam, sic crassitudinem his, quæ interna

interna ab ipſo corpore proueniunt, 2.de t.ſ. Obeſis igitur & polyſarcis quæ temperamentum ſiccius, eoq́; gracilius corpus faciunt, inducere oportet. Veluti ſunt apricari multum & frequenter, & valida in tempore calido & ſicco exercitia: Frictio ante cibatum ex ſale & nitro multa & non aſpera: Thermæ ſalſæ ac nitroſæ, laconicum, animi ſollicitudines & curæ: Victus parùm nutriens, vel tenuis & extenuãs, extenuantiaq́; medicamenta: Somnus quoque ieiunos emaciat, 6.epi. Prætereà quia craſſities ſuperfluaq́; corporis incremẽta ab vtili materiæ abundantia virtuteq́; valida fiunt, lib. de ca.morb. contrarijs cauſis ſunt corrigenda: idcirco obeſis minuenda concoctio, ſiue digeſtio eſt, augenda verò corporis exhalatio. Concoctio autem minuetur, aſſidua ventris deiectione: cui aſſuefacta nutrimenti inſtrumenta, quæcunq; continebunt, ea ſtatim peſſum impellent. Corporis verò augebitur exhalatio celeri exercitio, cuius generis curſus eſt: vnguentis itẽ quæ euaporandi vim habẽt fricando, quàm plurimum molli frictione, quæ laxum corpus efficiat. Hoc modo perpinguem Galenus

paruo tempore ad mediocritatem carnis reduxit, celeri primùm curſu vti cogens, dein ſudorem linteo vel molli admodum, vel admodũ aſpero detergere. Ab his acopis largiſſimè perfricare fecit, & poſt frictionem ad balneum perduxit: à quo non protinus cibum dedit, ſed quieſcere interim iuſſum, aut etiam conſuetum aliquod munus obire, rurſus ad balneum ſecundò egit. Poſteà ciborum multitudo, qui parum nutriunt appoſita fuit, eo conſilio vt ſaturarent, ſed exiguum nutrimentum in totum corpus ſubmitterent.

In ſumma extenuant corpus autore Celſo lib. primo, aqua calida, ſi quis in eam deſcendat, magisq; ſi ſalſa eſt. Inurens ſol, & omnis calor, cura, vigilia, ſomnus nimium vel breuis vel longus. Lectus per æſtatem terra, hyeme durum cubile, curſus, multa deambulatio, omnisq; vehemens exercitatio, vomitus, deiectio, acidæ res & auſteræ, & ſemel die ſumptæ epulæ, & vini non perfrigidi ieiuno potio, in conſuetudinem adducta. Addit Plinius II. natur. hiſtor. ſiccis & aridis frigidisq; ac ſiti corpora minui.

Præterea pingues macri redduntur vſu

laccæ,

laccæ, ſerapio, vſu aloes, Galenus & Paul. vſu coluteæ, Theophraſtus. quæ eſt ſena Ruellio. Vernicis drachma ex aqua, vel oxy mellite quotidie pota emaciat, Varig. Ad idem pollet muſtum granatorum cum oxymellite potum. Fortius eſt acetum cum pipere hauſtum. Herbarius propinat quinq; vel ſex diebus, vini in quo auellanarum nucamenta incocta ſint, vncias tres. Emaciant etiam ſarcocollæ grana tria quotidie ſumpta. Monta. Et puluis Capellæ, qui recipit feculæ drach. ij. cinamomi drach. j. zinziberis drach. j. ſacchari drach. iij. doſis cochlear paruum omni die. Licebit etiam vti chirurgia: nam Plinius refert xj. nat. hiſt. cuidam conſularis viri filio, detractos adipes, leuatumq́; corpus immobili onere.

Gracilitas ex calida & ſicca dyſcraſia ortum habens, huius immutatione per alterationem emendatur: nempe ratione victus infrigidante, atque humectante. In qua ſubauditur exercitatio non acuta & valida, ſed tarda, mollisq́;. Nonnullis etiam quibus ſcilicet acre, mordax & calidum eſt, quod exhalat; exercitium inutile exiſtit, ſed abunde his ſatisfaciunt inambulatio, balneum,

& mollis ex oleo frictio. Istosq; à cibo balneum iuuat, modò in dextra pręcordiorum parte dolorem aliquem aut grauitatem aut tensionem non sentiant. Ex huiusmodi victus ratione incredibile est, inquit Galenus quàm obesi quidam eorum sunt redditi.

Ad hunc quoq; modum corrigitur, quæ ob totius corporis siccam & frigidam intemperiem fit macies, à contraria videlicet victus ratione, vt cibo humido calidoq;, & vini calidioris potu, recrementorum, quæ quotidie ex his procreantur, inanitione, somno pleniore, exercitijs mediocribus, veneris omnimoda abstinentia, & picatione.

Quæ verò gracilitas propter digerentis in corpus, vel nutrientis, vel etiam ambarum facultatum naturalem imbecillitatem oritur, hunc emendationis scopum habet, bonum scilicet sanguinem in corporis molem attrahere: nutricem vim firmare, & ne quod attractum est, exhalet, prospicere. Sanguis autem & alimentum in corpus distribuitur, nutriendiq; vis firmatur, excitato in carnibus calore. Calor verò excitabitur exercitio mediocri, & balneo temperato. Etiam si ante balneū manu nec admodum molli,

molli, nec rurſus aſpera corpus perfricetur, quoad ruborem contrahat. Dein frictione non multa cutem cogens denſam eam, duramq́; efficere iubeas. Picatio quoque diſtribuendo in corpus alimento, & nutritioni maximè conducit. Denique qui attractus in carnes ſanguis eſt, non exhalabit, ſi oleo corpus vngatur, vel oui recentis aquato, diu baculo agitato illinatur: frigidaq́; lauatio, vbi ætas non reclamat, idem præſtare poteſt. Veſpertina etiam frictio his vtilis eſt, quos atrophia macerat: frictioq́; matutina cum pinguitudine adhibita paucis diebus, multos iuuenes emaciatos & alios atrophuntas ſanauit. Præterea Galenus com. 3. de officina chirurg. plurima extenuata ſe refeciſſe affirmat quatuor præſidiorum generibus. Sunt autem frictio per lintea, calidæ aquæ perfuſio, frictio per calida medicamenta, vel per oleum, ſimplicis dropacis inunctio.

Celſus ad corpulentiam augendā præſidia ſtrictim perſtringēs, implent, inquit, corpus modica exercitatio, frequentior quies, & ſi poſt prandium eſt balneum, contracta aluus, modicum frigus hyeme, ſomnus &

plenus & non nimis longus, molle cubile, animi ſecuritas, aſſumpta per cibos & potiones maximè dulcia, & pinguia, cibus & frequentior, & quantum pleniſſimus poteſt concoqui.

Huc etiam pertinet ſubteriora ex varijs decerpta autoribus auxilia: humectantia enim ſunt lauacrum, molle cubile, ſomnus & cibus lib. de maraſmo. ſcilicet impinguãs vt lac, oua, mel, oleum. Apud Heſiodum centum annos puer educatur. Ex quo innuit diuturnam lactationem longæuæ vitæ eſſe cauſam. Plurimum nutrimenti caprinum lac erat ſeni, qui amplius quàm centum annos ruri vitam egerat. 5. de t. ſ. Lactis potus oſſa nutrit, vt infit Plinius. 23. nat. hiſt. Lac mulieris, aſinæ, capræ, & bubulum laudat Almanſor. & lactis conſeruam calidam complexionem habentibus, Auicennas. Caſeum recentem, Hali, Serapio, Auicenna. ſine ſale, Dioſcorides. butyrum, Serap. oleum amygdalinum, ſiſaminum, pinearum & piſtaciorum recens, Meſ. oleum dulce nouum temperatum eſt, totaq; ſubſtantia homini conueniens. Impinguat hepar, atque eius ſubſtantiam auget, ſi credimus

mus Auerrhoi. 5.collect.& alibi existimare videtur eum, qui oleo semper vtatur, nunquam senescere,& nunquam mori posse, nisi morti destinatus esset, quòd par videatur olei alimentum humido, quod in nobis in dies consumitur. Quidam ab incipiente senecta melle perpetuo vsi,ad longissimam vitam peruenerunt, 3. de alim. Ouorum gallinarum recentium substantia facilimè cōcoquitur, & ferè tota in bonam alimoniam vertitur, lib.de virib.cord. Gallinarum frequēs esus, modò saginariæ sint, vtilis est, saginationisq; modum declarat Razes lib.de animalib. & Varignana. Perdices commendat Almansor. anates, Serap.& Auicen. ius cochlearum, Plin. cancrorum fluuialium caudas, Auicen. Insuper conferre possunt panes tritici noui, pultes, alica, faba, faseoli, bulbi omnes species, Serap. pastinaca, Hali. vuæ passæ, palmulæ, castaneæ, Galen. Auellanæ plus quàm sit verisimile prosunt, Plin. Penidij per se, vel cum cibarijs dantur consumptis, Platearius. Huc refer suffus impinguās, Mesue. Aliudq; Alex. b. quod accipit farinæ ordei partes duas auellanarum partem vnam. In furno

pariter torrefiant, ſi quotidie aſſumantur, pultis modo corpora replent, vel auellanæ per ſe commanducatæ à cœna. Nuces Euboicæ, inquit Ruellius, veſcentes exhilarant ſagina, ſtrigoſosq́; ad craſsitiem reddunt.

Sciendum autem eſt, quòd macilentiſſimi parce cibandi ſunt, & crebro: quoniã plurimo nutrimento indigent, nequeant verò quod mediocre eſt concoquere, vt ſcribit Galenus 8.therap. Nempe concoctionem maximè picrocholi habent imbecillam, vel primam vel ſecundam aut tertiam.

De pilorum capillorumq́; vitijs.

Duo quidem ſunt vitia, videlicet, abolitio, & coloris immutatio. Canicies pilorum dealbatio, imbecillitasq́; eſt. Cani nanque imbecilli ſunt alimenti conuenientis penuria. Albi verò propterea quod alimentum quo aluntur, veluti ſitus eſt pituitæ, quę ſpatio computruit. Vnde canicies veluti putredo quędam eſt, 10.probl.36. Eſtq́; duplex, naturalis, quæ ſenio, & morboſa, quæ morbo accidit, vt colligitur ab Ariſtotele 5.de g.animal. Rurſus non morboſa, vel tempeſtiua aut intempeſtiua: ſunt enim à pueritia

ſtatim

ſtatim cani in Albania, alibiq́; quorum capillus in ſenectute nigreſcit, vt narrat Plin. 7.natu.hiſtor. Sic grues ſeneſcentes nigriores fiunt: quia tunc plus humoris in pennis conſtituitur, quàm vt putredini pateat, vt Ariſtoteles exarat 5.de g.animal.

Canicies naturalis contrahitur inopia & exilitate caloris natiui, quæ ſenectutem ſequitur. Qua ex re pilorum alimentum (id eſt,materia) non concoquitur. Indeq́; oritur cruditas & putredo, 5.de g.animal. Intempeſtiua & morboſa ex eadem caloris imbecillitate euenit,ſed quæ vitio corporis efficitur, vtpote vitiligine, ſtatim gignitur. vbi enim vitiligo canicies quoque eſt, 10. probl.36. E' diuerſo quæ ariditate committitur, non ilico fit. Nihil enim illico aridum gigni ſolet, vt ait Ariſtoteles 3.de natu.animal. Et forſan à pili parte poſtrema (quia ſicca magis) incipit.

Canicies naturalis inſanabilis eſt, quando inſanabilis quoque ſenectus eſt,ſi Galeno credimus p.de t.ſ. & lib.de tabe. Altera ſanabilis: nonnullis enim dum ægrotarent incanuerunt pili, quibus ſanatis nigri renati ſunt, canis defluxis, teſte Ariſtotele 3.de

natu.

natu.& 5.de g.animalium. Idem ſibi conti-
giſſe ex maritimo aëre Poſtellus vir impen-
sè doctus,mihi retulit: etenim illi canis de-
fluxis nigri renati ſunt, quum in Græciam,
Aſiam & ad Indos nauigaret.Senilis iuuen-
ta præmaturæ mortis eſt ſignum, vt ex Ca-
tone tradit Plinius, 7.nat.hiſt. Albedo pi-
lorum non videtur naturalis, vt autumat
Gentilis 2.primi. Quoniam pili aduſtione
materiæ fumoſæ fiunt, quam ſequi debet
aliquis infectus aut tinctura. Ocyùs cane-
ſcunt pili operti quàm detecti aut difflati,&
magis à temporibus. Tempora enim humi
diora ſunt, quòd in his muſculi magni ſub
cute habentur. Vel quòd cerebrum potiùs
ſynciput occupat quàm occiput: ſicq; ſyn-
ciput magis humectat.Ruſos celerius quàm
9. Ariſtot. nigros caneſcere tradidit Ariſtoteles loco
præcitato, nam & rufitas, inquit, quaſi im-
becillitas pili eſt. Nos tamen obſeruauimus
ſubinde contrarium eueniſſe: nempe neq;
facilè,ſed ſerò,caneſcere ruſos:at ſeneſcunt
citiùs,qui à ſenioribus orti parentibus ſunt,
& qui educati à vetulæ nutricis lacte fue-
runt,quiq; ſalaces ſunt.Nanque proles opti-
ma eſt, quum vigent parentes, vt ait Ari-
ſtoteles,

ſtoteles, v. de nat. animal. Vis quoque lactis ſatis apparet in hædo ouis lacte nutrito: ſiquidem hædus pilos obtinebit molliores, quod animaduertit Macrobius in Saturnalibus.

Porrò canicies nullam ſeorſum curationem exigit: quia cum affectu vnde naſcitur, vna ceſſat. Primùm igitur pituita expurganda per vomitum, deiectiones, vrinas, ſudores, errhina, apophlegmatiſmos. Mox natiuus calor roborandus, tùm attenuante victu, tum medicamentis tuendæ ſanitati dicatis coquendi, attenuandiq́; & abſtergendi vi pollentibus. Qualia ſunt oxymel dioſpoliticum, diatrium pipereon, diacalaminthæ, triphera Ioannitij, triphera minor, electarium de aromatibus, confectio alhariſ Meſuæ, diagalanga, triphera ſarracenica Nicolai. Electarium lætificans, Almanſoris. Electarium de ſcilla. Trochiſci ſtellæ Auicennæ. De ſimplicibus ſerpentum eſus iuueneſcere facit, frequensq́; myrabolanorum kebularum vſus conditarum, vt aſſerit Meſue. Acetum ſcillinum & xyloaloes, vt Auicennas.

De admouendis, vitanda ſunt ex auſte-

ris,

ris,& acerbis composita: valde enim caput offendunt, maximè si frigidi sit temperamenti, vt Galenus docet & Trallianus, cedrinus liquor nigrefacit,& quum sit impensè calidius, caput frigoris iniuriæ opportunum adiuuat. Confert item oleum costinũ, & de Alcanna Mesuæ. Corui ouum in æreo vase permixtum, & illitum capiti tonso, caniciem declinat, & abolet, Sextus. Carpasi succum illine, & manebunt crispi nigriq;, Aëtius. Supercilia alba mysi leuigatum cum aceto illitum, nigra facit, Myrepsius. Idem præstant oua formicarum cum muscis tritis infricata, Plin. ℞. sulfuris fulonici, atramenti sutorij, gallarum, calcis viuæ, spumæ argẽti añ. drach. ij. ferruginis drach. j. seorsum singula terantur, & cum aqua fiat linimentum, Aetius. Aliud Platearij, recentia nucũ putamina pista, & in aqua cœlesti cocta misceantur: adde his puluerem gallarum, quæ prius in oleo sint frixæ, dein siccatæ, & fiat linimentum. Aliud Aedif. lithargyri puluerati, calcis viuæ añ. drach. sem. cum aqua calida fiat linimentum. Salicetus cum his adiungit cerusæ drach. ij. Aliud Alexand. ℞. succi putaminum nucum drach. iij. lithargyri

gyri drach.j.calcis viuæ drach.ij.miſce capillumq́; tingito. Aliud Galeni, colocynthidem vacuam oleo imple laurino, cum ſe mine alterci non cõtrito. Dimitte vna die, vnge ſemel in anno: nam præſeruat à canicie. Aqua mellis extillati flauos capillos, lon gosq́; efficit, vt Honeſtus aſſerit. Vt flaui fiant, mellis drach.j.croci drach.j. cum luteo oui mixta dilue tonſoris lixiuio, quo madenti pectine illine. Itẽ pilos flauos efficit fex vini cremata, cum oleo lentiſcino per noctem totam inuncta, Aetius. Nucisq́; teſta vſta, vino contrita & illita pulchros in pueris denſosq́; pilos reddit, idem. Vt criſpi plani fiant, ℞.vitri tenuiſſimè puluerati libra ſem. miſceatur lixiuio, ex quo capillorum lotio fiat. Aſpredinem capillorum lenit oleum dulce illitum, muccago ſeminis lini, & aqua è larido extillata. Ad ſciſſuras eroſionesq́; capillorum fiat lotio ex lixiuio in quo hordeum maceratum elixum'ue ſit. Confert item oleum amygdalarũ dulcium, aut oliuum, aut oleum ex ſemine lini cum pauxillo ladani capillis infricatum.

Capillorum defluuium raritatem cutis, & ſubſtantiæ pilos generantis inopiam comitatur,

mitatur, primo περὶ τόπους. A vitiosis humoribus generatur defluuium, crinium radices corrumpentibus, 6.aphor.com. 34. Ex concoctionis imbecillitate vniuersorum fit turbatio, vasorum immunditia, cerebri diminutio, propterea & caluitium, 6.epi. Fieri etiam potest, vt quis vitio sui generis caluescat, vt placet Aphrodiseo prima problematum primo. Ex succis qui per cutem transpirant, quod limosum est, id pilos tum à principio gignit, tum de cætero veluti succrescendo auget. Hoc igitur quoties perit, vel redditum est vitiosum, toties pilos corrumpi necesse est, ac prorsus eo perdito caluities oritur. Eodem vitiato ophiases, tum alopeciæ proueniunt, vt docet Galenus 2.natur.virt. & 14.ther. A causa etiam externa caluities efficitur, vt à psilotro.

De nobis enim consilium petijt quidam sacrificus, cui accidit Romoni omnium capitis pilorum abolitio. Accesserat enim ad tonstricem sibi familiarem quæ caput illi cum facie tota lauit. Mox vt eum raderet, lauit & barbam prolixius, non quidem lixiuio, vt ipsa putabat, sed aqua depilatoria ad alios vsus parata, & pro lixiuio per imprudentiam

dentiam ſumpta: ſicq; ouũ factus eſt totus.

Pilis infantes nudi, quia nullus adhuc in cute meatus, nec fuliginoſum excrementum 2.de temper. Attamen recens natus ſale inſpergendus, quo cutis denſior, ſolidiorq́; reddatur, vt docet Galenus primo de tuen.ſan. Sanè pueris propter habitus mollitiem ſucci perſpirabili cute, facilè digeruntur, vt idem ait, 4.r.acuto.com.26. Parte priore capitis ſola calueſcere ſolemus, quòd mollis laxaq́; ſit: vel quoniam ſynciput quum ſeneſcimus ſicciſſimum eſt: hæret enim cutis illic oſſi nudo. Ob id etiam interna manuum, & pedum inferna, ſemper glabra: quia ſicciſsimus denſiſsimusq́; ſit tendo is, qui ſub cute habetur.

Defluuium conſueuit oriri his, qui morbo iam defuncti erant. Raro etiã ſine morbo, primo τῶν τόπ. Eunuchi calui non fiunt, propter temperamenti humiditatem, 6. aphor.com.28. cum his adiunxit Ariſtoteles mulieres, ſpadones, ac pueros. Eos item qui mento ſunt bipartito calueſcere minus ſolere ait, 3.de natura & 5.de gener.animal. Balbi & parua habentes capita, non calueſcunt. At facilè, qui valde hirto ſunt pectore

caluitie afficiuntur, ex Galeni ſententia 2. epi. & Razis 25. cont. Auicennæ 7. quarti. Qui capillo ſunt promiſſo, nunquam aut lentiùs caluitium ſentiũt. At quibus criſpus eſt, citiùs calueſcunt, vt putat Aphrodiſeus prim. prob. primo: ſed fortaſsis fallitur, quod euentus indicat. Caluities enim in Æthiopibus ſerò euenit, vt tradit Auicennas 7. quarti. Calueſcunt citò qui frequentius inebriantur, teſte Ruellio. ratio haud obſcura eſt. Caluis varices grandes non fiunt, 6. aphor. 34. Galenus de defluuio interpretatur: quia caluitium inſanabilis affectus eſt. Magni, calui, bleſi, vocis exilis, optimi ſunt, 2. epi. Calui pituitoſi ſunt, pituita pilorum radices exurente, vt ait Hippocrates lib. de nat. fœtus. Prodicus quoque lib. de natur. homin. id quod vſtum in ſuccis eſt, φλέγμα nominare videtur, apud Galenum 2. natur. virtu. Non prætereundum eſt, quòd in capillis eſt aliqua terrarum differentia, quippe Myconij omnes, vt inquit Plin. calui ſunt. Coma Ariſtoteli eſt libertatis argumentũ, de qua etiam ſcribit D. Ambroſius eam eſſe reuerendam in ſenibus, venerandam in ſacerdotibus, terribilem in bellatoribus, decoram

coram in adoleſcentibus,comptam in mulieribus, dulcem in pueris,ſine qua pulchritudo flacceſcit. Quod & approbat iſthuc Naſonis diſtichon,

Turpe pecus mutilum,turpis ſine gramine campus,
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Mira fuit Abſalonis Ceſaries, quæ ſemel in anno tondebatur, quia eum grauabat. Erat enim ducentorum ſiclorum pondere, hoc autem eſt,octo librarum vnciarumq́; quatuor, modò ſiclus apud Hebræos idem ſit quod ſtater apud Græcos, vt ſentit Budæus. Eſt autem pilorum cauſa finalis triplex,videlicet neceſsitas materiæ,adiumēti ratio, & decori, vt vult Ariſtotel.2.de part. animal.& Galenus 11.de vſu par. Pili, vt inquit Auerrhois, 2. collec. malam trahunt materiam ex corpore,ſiquidem eorum materia ſunt vapores fuliginoſi, alium ſuper alium impacti.Conſentaneumq́; eſt longos capillos magis quàm decurtati & breues attrahere. Ex quo forſan in primo Celſus ait,Cui caput infirmum eſt, is nunquam ad cutim tonderi debet. Raſura etiam prohibetur,quia cutim denſat, ſicq́; retrocedunt vapores, & fortior fit febris prima quarti.

Attamen præciſos capillos & vngues, barbamq́; raſam celeriùs increſcere videmus. An quòd vapor fuliginoſus ad radices capillorum, pilorum, & vnguium ſcandens, ſubſectos faciliùs propellat?

Hoc ſeculo omnes ferè tonſo ſunt capite,prælongamq́; barbam ferentes , quæ viros reddit malè fortunatos, vt ſcribit Cocles in ſua Anaſtaſi, eos item melancholicos efficit: quod ex eo pateſcit, quoniam barbæ raſura,aut eius præciſio, mœſtos exhilarat atque viuificat, vt Graduenſis autumat 9.Almanſ. Itaque comam nutrire videtur libertatis argumentum, ſi credimus Ariſtoteli primo rhetoricorum. Capillorum nullum regimen, ſed generatio ſola 2.art. par. Quæ duplex eſt,vna ex creatoris prouidentia, altera ex loci natura, xj.de vſu par. Eorum differentiæ naturales pro cutis qualitate, & humoris, vaporisq́; ex quibus fiunt conditione proueniunt, vt à Philoſopho 3.de nat.& v. de gen. animal. explicatur. Vnde meritò inter temperamentorum notas aſcribuntur. Scribit Iulius Capitolinus in Maximinis, tanta fide Aquileienſes contra Maximinum pro ſenatu fuiſſe,vt funes

nes de mulierum capillis necterent,neruorum facultate defecti excutiendis sagittis. Ex quo patescit, quod non prorsus terrestris est capillorum materia,sed vnctuosi viscosiq; aliquid habet, vt Auerrhois 2.collect. & Auic.septima quarti sentiunt. Alioqui non esset quo velis modo flexibilis pilorum natura.

Iam verò in defluuij curatione capitis habitum roborare oportet & probi humoris copiam moliri, cutis mediocritatem in denso & raro reuocare. Quare refectoria & salubris victus ratio in plerisque sóla sufficit.Et admouendis humectantibus medicamentis aliquid mediocriter astringens est miscendum: quod rasis crassius, tonsis liquidius adhibere conuenit. Cuiusmodi ladanum cum oleo myrteo in duplici vase liquefactum, ex consilio Galeni primo κατὰ τόπ. Caluities coitu interdum sanatur, vt Albertus 3.de animalibus opinatur, & Forliuius 3.ar.par. Auenzoar quoque in primo theisir caluitiem in iuuentute ortam sanabilem esse innuit: quam curare docet olei amygdalarum dulcium illitione, quòd humoris acrimoniam remittit,aboletq;.

Auxilia alia à varijs autoribus varia præſcribuntur. Capillis fluentibus, inquit Celſus, ſæpe radendo ſuccurritur. Aliud Nicol. Alexand. ex cortice cepæ incenſæ cum melle mixto perunge. Vel, vt cecinit Macer Æmilius,

Contritis cepis loca nudata capillis
Sæpe fricans poteris capitis reparare decorem.

Serpentis cinis aſperſus capiti facit, vt capilli in locis glabris naſcantur. Vt citiùs creſcant, libano cum fimo murium æquali pondere cum aceto vtere, & illine: vel ex puluere corticis raſani cum melle trito, alline. Nicol. Alexand. Aliud, adipis vrſi, polytrichi vſti, olei lentiſci, vini myrtini añ. drach. j. ladani drach. x. miſce ad ſpiſſitudinem & inunge. Vt non decidant, ſed alij renaſcantur, ex cinere apum cum oleo mixto perunge. Gittus vſtulatus cum aqua illitus idẽ præſtat. Ad alopecias & caput depile, lichen aſini, id eſt collectio dura, quæ circa genua naſcitur combuſtum, ex oleo veteri illitum ita validum eſſe teſtatur Marcellus, vt ſi mulieri inde maxillam vnxeris, barba ei naſcetur. Poſtremò ad velandam inſanabilem caluitij deformitatem, caliendrum ſeu

ſeu phenacem aptiſſimũ eſſe conſtat. quo & nobiliſſimæ principes paſſim & vbique vti ſolent, ex alienisq́; capillis efficitur, & non ex animalium pelle, vt iocatur Martialis in Phœbum,

Hedina tibi pelle contegenti
Nuda tempora verticemq́; caluæ
Feſtiuè tibi Phœbe dixit ille,
Qui dicit caput eſſe calciatum.

Defluuium in cilijs ptiloſis dicitur 14. ther. quam Paulus lib.3. madaroſim vocare videtur. Et per ptiloſim intelligere palpebrarum caloſam craſsiciem. Ad ptilos, inquit Galenus, deliges materiam oculis idoneam. Nec per negligentiam committes vt medicamentum intra tunicas oculorũ confluat. Quare ſicciora tutiora ſunt. Ptiloſim coërcet nardum & ſpica eius decoctum in aqua. Muſcerda & fimum capræ æquali pondere torretur, & melle illinuntur, ex Galeni conſilio. Item glabras genas ad pilum reducit piceæ fuligo, Dioſc. & Ruell.

Ad ſalicium, id eſt, in ſupercilijs defluuium, vt interpretatur Gaza. 3. de natur. animal. Sal armeniacus inſperſus acres humores conſumit, à quibus pili malè nutriti

excidunt, ex 9.ſimpl.Gal. Aliud. ℞.talpæ vſtæ, cineris apum, auellanarum combuſtarum añ.drach.ij. ladani ſoluti in oleo de vitellis ouorum drach.iij.fiat vnguentũ: quo tepido ſupercilia illinantur, prius infricata linteo. Caderia allinit cinerem viridis lacerti combuſti, cum melle crudo.

Ad barbam deciduam, & raribarbos. Cinis abrotani cum oleo tenui barbã ſegniùs enaſcentem elicit, teſte Gal.6.ſimp. Aliud eiuſdem, Piperis, euphorbij, pyrethri añ. drach.j. ſucci molliorum foliorum calami, muſcerdæ, olei per combuſtionem expreſsi q.ſ.trita omnia & mixta affricato, & aſsiduè radito. Raſio tamen inſpiſſat cutim, prima quarti, præter hæc barbam producit mel cum baccis iuniperi tritis illitum, Toledo.

Ad loca hiſpida, pili corrumpuntur medicamentis attenuatorijs, pſilotris ſeu depilatorijs, vel abolitorijs. Quorũ duo priora ſine periculo adminiſtrantur, ſed abolitoria vſum minimè tutum præſtat, vt poſt Gal.tradit Aetius. Attamen ratione ſolùm maioris & minoris differunt: nam in genere putrefacientem vim aut vrentem habẽt. Præſtantiora putrifica: periculoſior eſt adurentium

rentium

rentium vis. Ridetur quidam tingendi capilli affectator apud Niciam hoc tetrasticho,

Caput inficiens quidam capillos destruit ipsos,
Et quamuis perhirsutus foret, ouum tamen est factus totus.
Proinde exclamauit infector, tonsorem nihil amplius succidere.
Neque albam comam, neque item nigrefactam.

Ridetur & Lẽtinus à Martiali hoc disticho,

Mentiris iuuenem tinctis Lentine capillis
Tam subitò coruus, qui modò Cygnus eras.

Deglabratio Hippocratis, si pilos tollere vis lachrymam vitis oleo commisceto, & lenito supercilia & palpebras similiter. Cutis tenuis rubella, boniq; coloris remanebit. Pilos detrahit cyperis, id est, terra merita, illitu. Eosq; absumit cinis sarmentorum vitis & vinaciorum, ex vino aspersus, Ruell. Idem præstat secundùm Sarrac. succus radicũ chelidoniæ gosipo illitus. Aqua quæ ex ouorum putamine calcinato extillatur deglabrat, Aedi. Si vis faciem deglabrare, ℞. colophoniæ drach. iiij. mastichæ drach. j. resolue ad ignem in fictili nouo. Liquatis adde ammoniaci purissimi drach.

ſem.coletur totum ſuper aqua frigida,& ſubige, fieri etiam poteſt ex vncia vna colophoniæ cum ammoniaci drach.ſem.fortius ℞.colophonię drach.iij.ammoniaci drach. ij.maſtichę,borracis,cerę an̄.drach.ſem.reſoluatur totum ad ignem,formentur in cylindrum & locis hiſpidis, præſertim in facie admoueatur. Pſilotra fortiora, calcis viuæ partes duas, auripigmenti partem vnam, aqua calida affuſa terito in mortario plumbeo. Adde pauxillum moſchi, aut ambari, & vbi nigra facta fuerint alline, Aetius. Aliud Bauerij, ℞.calcis viuæ,auripigmenti an̄.drach.ij.fiat puluis, ligetur in linteo raro, & in feruenti aqua ponatur.Mox extrahatur. Eoq; hirſutæ partes confricantur in ſtuba, vel balneo.

Poſtremò pilos renaſci prohibet auripigmentum, cum oleo alterci illitum, Plat. Aliud. ℞.gummi hederæ,oua formicarum, colophoniæ, auripigmenti an̄.drach.j. piſta ſimul, cum aceto confricantur locis. Aſtarius. his addit Concoregius ſanguinem ranarum & veſpertilionis, & oleum in quo ſanguiſugæ, & eritius elixata ſunt. Aqua putaminum ouorum non ſolùm depilat,ſed

etiam

etiam pilos renaſci prohibet, Ædif.

Ad pityriaſim & furfuroſos:

Eſt inſenſibilis morbus ſed noxia forma,

Quum caput immenſa pexum porrigine ningit.

Vt canit Serenus.

Porriginis differentię, humida, ſicca, cum vel ſine vlcere: huic quoque modò malo odore, modò nullo accidente: Ferè in capillo fit, rarius in barba. Aliquando etiam in ſupercilio, vt ſcribit Celſus lib. 6.

Ex prauis ſaniebus pityriaſis innaſcitur, p. τῶν τόπ. Euenitq; vitioſo corporis humore, ſalſa'ue pituita, aut bilioſo & melancholico ſanguine caput ſubeunte, Aegin. lib. 3. prætereà Galenus 6. epi. com. 3. Capitis, inquit, plerunq; ob propriam eius intemperiem eſt, furfures creare, tametſi humores naturaliter affecti ſint. Inde furfuroſi dicti.

Verùm neque ſine aliquo corporis vitio porrigo naſcitur. Neque ex toto inutilis eſt: nam bene integro capiti non exit. Vbi aliquod in eo vicium eſt, non incommodum eſt ſummam cutem potiùs ſubinde corrumpi, quàm id quod nocet in aliam partem magis neceſſariam verti. Cõmodius eſt ergo ſubinde pectendo repurgare, quàm id

ex

ex toto prohibere, vt rectè opinatur Celſus. Itaque Marcellus empiricus capitis porrigines, inquit, plerunque in ſe perniciem conuertunt.

Curationis intẽtio eſt prauas ſanies conſumere, degerentibus abſtergentibusq́; medicamentis, toto prius corpore præparato, ſi malignis ſuccis plenum appareat. Quod in omnibus in memoria habendum cenſet Galen. Nonnulli tamẽ diſcutientibus quædam quæ aſtringunt admiſcere ſolent, conſilio firmandi partes affectas, ne facile influentem ſaniem excipiant, ſed reſiſtant ac expellant, vt ait Aetius. lib. 6.

Remedia ad humidam pityriaſim lupinorum decocto caput abluendũ eſt, Ægin. vel ℞. nitri ſpumam atramenti ſutorij añ. drach. j. cum vino tundito, vtitorq́; ter aut quater in menſe. Archig. Ad ſiccam conuenit betæ ſuccus illitus Serapio. Item farina feniculi ex vino capiti inducta eas expurgat. Marcel. lotio ex lacte amygdalarũ dulcium aut amararum, vel ex ſemine batechæ. huc refer decoctum capillarium, aut caulium, aut radicis liliorum alborum, aut myrti, maluæ & camæmeli, aut foliorum ſalicis

licis cum vitro. Arundo etiam cum vino cocta lotione furfures abigit.

De phthiriasi,pediculario'ue morbo. Pulices, vt inquit Aristoteles v.de nat.animal. minima putredine gignuntur. Cimices ex humore, qui per summa corporis animaliũ consistit. Pediculi ex carne, quibus futuris emergunt ceu pustulæ quædam sine pure, exiguæ, quas si pungas pediculi exeunt, omnibusq; vel siccis humescentibus, vel humidis siccantibus, creari animal potest. Verùm si cutis nulla interposita carne craneo adhæret, vt idem sentit 3.de natur.animal. nullus in capite pediculus generatur: nam caro inter cutem & pericranium solum apparet teste Mondino, in fronte, temporibus, & circa mandibulas. Quare dicendum potius est, quòd pedunculi alta cute excitantur, ceu in cutis summa porrigo. Itaque cutis caluæ circundata pertusa est. Vnde quasi per poros germen prodit capillorum, vt inquit Pollux. & licet sit reliqua totius corporis cute siccior & durior, 2.de temp. vbi tamen humescit phthiriasim inducit. Accidit enim nonnullis hominibus præ nimio corporis humore, v.de natur. animal.

animal. Generantur ex humorum colluuie calidorum, non tamen quantum acris ſanies caloris obtinet, primo τῶν τόπ. Quibus copia mali ſucci in corpore abundat, his pediculorum numeroſa multitudo exoritur, xj. ſimplicium. Non igitur mirũ ſi Acridophagi morbo pediculari moriuntur, vt narrat Diodorus Siculus lib. 3. inibiq́; pediculorum volantiũ meminit. Alios etiam hac fœditate obiſſe proditum eſt, v. de gen. animal. vt Syllam apud Samonicum erodente ſe ipſo corpore, & ſupplicia ſibi gignente, vt ait Plinius 7. natur. hiſtor. Caricæ ſi in ventre morantur, deteriorem ſuccum faciunt, qui pediculorũ vim magnam progeneret, lib. de euchymia. Pueris pediculi in capillo magis, viris minus, omnino fœminæ magis quàm mares pediculum ſentiunt, quod aſſerit Ariſtoteles v. de gen. animal. Remedia ad phthiriaſim in præcedentibus præſcripta ſunt.

Arearum vtrunque genus prauitate humorum accidit, primo τῶν τόπ. In ophiaſi ſunt lituræ & maculæ ſquamarum inſtar in ſumma cute: ſed alopeciaſis præter quàm quod caput deglabrat, vlceribus quoque

ſæpe

ſæpenumero id ipſum impetere conſpicitut, vt inquit Trallianus. Vitioſi humoris notæ petuntur ex cutis, cuius corrupti ſunt pili colore, præcedentiq; victu, 14. ther. Alopecia in qualibet ætate eſt, ophiaſis fere in infantibus: illa vix vnquàm ſine curatione, hæc per ſe ſæpe finitur, Celſus lib. 6. Curandi ratio. Quum iam purum ex purgatione corpus erit, oportet inhibere quod influit, & abſumere ac digerere quod iam ægrotantem locum occupauit. In hoc cinis abrotani cum oleo tenui ad alopecias accommodatus eſt, & fimum muris cum aceto tritum & illitum: vnguentum de talpa roſarij.

Achor malum eſt tenuibus admodum foraminibus capitis cutem perforans, è quibus glutinoſa ſanies excernitur: nam perinde capitis cutem erodit, vt tineæ tenui morſu veſtes perforant. Vnde tinea à recentioribus vocatur: quod ſaphatum ab Auicenna dicitur, 7. quarti. Kerion huic perſimile, niſi quod maiora habet foramina, in quibus humor melli ſimilis continetur. Ambo igitur vlcuſcula ſunt: ſed in achore cruſtoſa, in fauo humentia. Fiunt nitroſa

ſalſaq;

ſalſaq́; pituita, Paulo teſte, hoc eſt, originem ex humiditate mixta habent, quæ partim tenuem ſaniem mordacem, partim craſſum humorem occupat. Itaque tenuis vt quæ mordax ſit, primùm ſanè prurituũ ipſis excitat. Temporis autem ſpacio ob pruritum & tumor augeſcit, & foramina in eo conſtituuntur, vt declarat Galenus primo κτ̃ τόπ. Ex cruſtarum ſiccitate & albedine colligit Conſtantinus in viatico, humorem eſſe aduſtum: nam in aduſto quod cineritium redditur, albicat, vt euidentiſsimum eſt in oſſe vſto. In fauo materia ex liquore cenſetur humida, ſed acris & ſalſa, cùm ex pruritu, tum ex puſtulis faſtigiatis. Sanari vix poteſt niſi capilli radicitùs euellantur, vt retur Vitalis poſt Conſtantinum.

Ex medendi ratione liquet humores qui affectum generant eſſe vacuandos, ſi autem adhuc influxerint prohibere influxũ oportet, totius corporis, tum capitis purgatione. Niſi affectus exiguus ſit, in quo ſufficiunt auxilia merica, ſiue topica, etiam ſi totum corpus purgatum non ſit. At propter ſucci craſsitiem & lentorem incidentia medicamenta conueniunt, quæ vim digerendi re-

primend

primēdiq; habent, vt acetum, cui eximium quiddam ineſt. Eſt enim modicè calidum: plurima autem parte frigidum, vt præcitato loco refert Galenus.

Ad ſiccas cruſtas fiat ſomentum ex decocto foliorum ſalicis, Paul. vel ex aqua arthemiſiæ, Ramacl. Aqua Euonymi. Oleum de iaro Montag. vnguentum de elleboro eiuſdem. Emplaſtrum mellinum, Aetij. qui etiam laudat nuces regias manſas & appoſitas, vnguentum Gordoij, aliud Guidonis, aliud Tagantij. Ad ſcabiem fœdam in pueri capite. ℞. butyri recentis, adipis gall. re. olei violati terebinthinæ añ. vnc. j. coræ. q. ſ. fiat vnguentum Arnal.

Ad humeſcentes aqua ſulfurea, vel ſulfur cum oleo roſato diſſolutum ſtatim deſiccat aquoſas vomicas in capitibus infantium, Clem. ℞. adipis vrſi, adraces añ. vnc. j. picis liquidæ, fimi muris añ. drach. iij. olei vſti ex lucerna vnc. j. ſem. fiat linimentum quo vngantur loca raſa frequenter, ſanat enim diuturnam tineam, N. Alex. Tinea & alopecia loto capite cũ decocto furfuris curantur, abiectoq; furfure inungitur oleo, ſale, & ſucco feniculi tortuoſi, Card.

Ad faciei vitia: ſunt autem plúria, nempe rugæ, ephelis, phacos, ſiue lentigo, ionthi, ſiue vari, & ſuggilata.

A rugis facies aſſeritur liquore lota, qui ex ſcobe eboris cum coctis ouorum albuminibus extillatur. Simplex etiam aqua ex albuminibus ouorum deſtillatis, rugas, & faciei maculas tollit, cutimq; clarificat, Euonymus pulchro dignus nomine. Ad idem conferre reor, aquam ex floribus & radice liliorum alborum cum coctis ouorũ aquatis extillatã. Lotio itẽ ex vino albo, in quo roriſmarini flores elixati ſunt, rugas tollit, & defluuium ſuperciliorum ſanat, Hibres. cygni adeps illitus præcipuè faciem purgat, atque erugat. Vottonus 7. de different. animal.

Ephelis eſt aſpredo & nigricies in facie ex ſolis ardore prognata. Hanc abigit lotio ex aqua albuminũ ouorum ſtillatitia. Aqua florum fabarum, aqua florum nymphеæ, aqua florum liliorum alborum, ſeminum melonum, radicum iridis, draguntеæ & ſigilli Salomonis, ſecundum Hibrem herbarium. De compoſitis ſunt aqua ex fragis cum radice liliorum alborum extillatis. Vel

℞. aquæ

℞.aquæ liliorum alborum, aquæ plantaginis & florum ſambuci añ.vnc.j. aquæ vitæ vnc.ſem.miſce & ablue. Ad idem pollet vnguentum citrinum,N.

Ad lenticulas lotio ex aqua fraxinelæ Honeſti confert,& lixiuium cineris iuniperi, aqua è terebinthina extillata: optimè enim detergit lentes, veſtigia, & cicatrices teſte Aſtario. nocte illinitur, mane detergitur decocto furfuris tepido. In hoc etiam oleum de been, ſeu myrabolanorum illitum valet,teſte Aetio & Manardo. Huc refer aquam tartari & lac virginis roſarij.Lenticulas abigit ammoniacum puriſsimum in aqua ſolutum & impoſitum,Sarac.Acetum extillatum & illitum eas,cutisq; veſtigia extirpat, modò ſequenti die locum abluas aqua, in qua furfur & malua ſint incocta, Card. Aliud, ℞.chryſocolæ vnc.j.mellis albi & adipis gallinæ añ.vnc.ij. fiat linimentum. Ad lentigines, omnemq; ſcabriciem, & maculas faciei. ℞. tartari ad albedinem vſque cremati libra j.maſtichæ tragacãthæ añ.vnc.ſem.camphoræ drach.iij. albumina ouorum quatuor, trita mixtaq; in aqua roſacea extillentur. Remediantur eum admi-

ratione, Epiphanius.

Quæ naſo adnaſcuntur pſydracia, id eſt puſtulæ duriores, acutæ & ſubalbidæ, mendaciloqui putantur argumenta. Per ionthos qui ſe parte eadem oſtentant, vani mendacesq; apud Siculos ſignificãtur. Vocari autem ſic arbitrantur, vel quòd ætatis flore protuberent, vt inquit Cælius, aut ab onthos, quæ vox fimum indicat, quia faciei ſunt dehoneſtamento.

Ad ionthos igitur ſiue varos valent ſequentia remedia. Oleũ de been inunctum, Manard. Aqua ex folijs ſalicis cum puluere charyophylorum extillata & illita, Sarac. Aqua ex folijs perſici & ſalicis vnà permixtis extillata: hac enim humectati ionthi ſanantur, Euony. Vzifur bulitum cum aceto & ſulſure impetiginem & ſerpiginem emendat, ionthosq; infallenter curat, Vigonius. ℞. tartari & ſeminis capparorum an̄. vnc. ſem. cum aceto & roſaceo tere, & alline, N. Alex. Aqua ægij extillatur ex talpa in puluerem redacta cum ſulfure, & affuſo chelidoniæ ſucco, curat achores & varos, ſi huiuſmodi affectus ea abluantur. Efficaciſſima eſt metallorum aqua deſcriptione Arnaldi

naldi aut Bertapaliæ. Vnguentum quod fit ex lithargyro dealbato cum oleo violato & aceto, ſub ſole diu elaborato, in pila plumbea, dein camphorato, optimum eſt, Gattin. Aliud, ℞. ouorum gemina candida, argenti ſublimati grana duo, cum aqua roſarum ſubacta illinuntur, Alex.B. Aliud Valeſci, quo non modò ad varos vtitur, ſed ad omnem cutis infectionem. Recipit argenti viui, amygdalarum amararum depellatarum añ. vnc. ſem. tereantur ſimul tandiu, donec nihil de hydrargyro appareat: poſteà adde ſeminis melonis decorticati vnc.j. fiat linimentum, nocte illinitur, mane detergitur lotione aquæ calidæ.

Ad ſuggillata, ſiue hypopia. Sal cum melle ea delet, Syluat. Nux pinguis commanſa & appoſita ea ſanat, Aetius. Nux rancida per ſe, vel cum melle trita, efficaciſsimè ſuggillata rapit, Holl. Fabæ lomentum cum melle ſubactum liuida diſcutit. Vel lithargyrum cum melle terito, & admixta faba freſa vtitor. Prodeſt etiam aloë cum melle illita. Item cæratum ex aniſi & cumini ſemine cum cera factum, Platear. Ad nigra & inueterata. Radix cucumeris ſylueſtris cum

melle pista imponitur, Gal. Aliud, ℞. succorum absinthij & rasani satiui, olei myrtini & chamæmeli añ. drach. j. cum cymino trito imponitur, Vigon.

Ad nigricias in facie, quæ contusa est, vel cæsa: fiunt enim nigriciæ ex sanguine, qui in parte icta progressu temporis liuescit ac denigratur. Primùm repellentia ex aquato oui cum rosaceo & pauxillo chamæmeli oleo imponenda sunt. Deinde admouendũ est efficacissimum Montag. emplastrum. Quod recipit radicum consolidæ maioris & minoris añ. libra sem. florum chamæmeli & meliloti añ. drach. ij. croci drach. sem. farinæ fabarum drach. iiij. butyri drach. v. farinæ fœnugræci drach. j. sem. radicibus elixatis, pistis, cribellatis, reliqua puluerata miscentur cum cymini drach. j. succi absynthij drach. ij. resoluit & validè exsiccat omnem materiam in loco contuso corruptam.

Ad vestigia exanthematum lithargyrum valet; Syluat. Item lutum quod fit ex crystallo calcinato & puluerato cum aqua fragorum admixto, Aquilanus. Optimum est etiam vnguentum de vitro Manlij. Item ad vestigia. ℞. succi citri aut limonis, linariæ añ. drach.

drach.iiij. candida ouorum iiij. camphoræ ſcrup.j. muccaginis ſeminum cydoniorum drach.iij.amyli drach.ij.fiat linimentũ, huc refert Tauerg.aquam iridis, radicum ſigilli Salomo. & S.Mariæ.

Ad cicatrices in facie. Aqua ex fimo hominis extillata cicatrices obliterat, Bertapa, vernix liquida illita maculas ab igne factas emendat, Alexand.B. Calaminthæ ſuccus cum pari roſacei, & ceruſæ menſura illitus, ita ambuſtis medetur, vt cicatrix nulla appareat, Aetius. Aliud Marcel. quod cicatrices etiam de vſturis delet, piloſq; facit renaſci. Recipit calcis viuæ drach.j. adipis porcini cocti & colati libra ſem.fiat cataplaſma.

Ad faciei & cutis maculas. Succus foliorum ireos cum farina fabarũ infricatus delet maculas, Berta idem præſtat infricatus cum ſale limonum ſuccus. Aed. ℞.farinæ lupinorum drach.iij.farinæ fabarum drach. ij.farinæ hordei drach.j.farinæ lentis, amyli añ.drach.iij.ſeminis rafani drach.ſem. cum lacte fiat linimẽtum. Aliud.borracis drach. ij. camphoræ drach.ſem. gummi & tragachãtę añ.drach.j.ſem.ceruſæ drach.iij.aquę

ſerpētariæ & lilij an̄. libra ſem. aquæ florum geniſtæ, ſolatri & nenuſaris an̄. drach. iij. puluerata cum aquis permixta extillantur. Tauerg. Aliud excellens quod tollit omnes maculas, ℞. cryſtalli drach. ij. corallij albi drach. j. macerentur in ſucco, vel aqua limonum: quibus adde aquæ ex limonibus deſtillatæ, aquæ ex rapis an̄. drach. iiij. extillentur ex vitro. Huc pertinet aqua ex argento viuo. Varignanæ aut Maſſæ. oleum è ceraſorũ nucleis maculas & lentigines tollit & abſtergit, Euony. Cutem craſſam, nigrã, & ſquamoſam emendat gerſa ſerpentariæ minoris, Syluat. Puluis radicis rubeæ tinctorum ex aceto illitus, tollit non modò maculas, ſed & vitiliginem, Tauerg.

Ad diſrupta labra, ℞. gallarum ceruſæ an̄. drach. ij. tragacanthę amyli an̄. drach. j. cum adipe gallinæ fiat linimentum, Meſuæ. Licebit partem illitam interna oui membrana integere. Ad omnes rhagadas, ℞. lithargyri, argenti, myrrhæ zinziberis an̄. drach. j. puluerentur tenuiſsimè, & cum cera virginea, melle & oleo fiat linimentũ, Varignana. Ad rimas omnium partium ex frigore. Cancrorum cinis fluuiatilium cum melle illitus

illitus perſanat. Ad fiſſuras labiorum & papillarum, ℞.argenti ſpumæ, myrrhæ an̄. drach.j.zinziberis drach.ij.ceræ & olei an̄. quantum ſatis,mellis exiguum fiat linimentum, Alexand.B. Ad papillarū rimas.Amylum aqua roſacea ſolutum,dilutumq́; imponitur. Cocles. Aliud Graduenſis. Ex interiore ſambuci cortice cum adipe gallinæ & cera alba fiat illitio.

Ad dentium candorem, confirmationemq́; contra rheumatiſmum, qui dentes viciat. ℞.aquæ roſaceæ, aquæ ſaluiæ an̄.libram ſem.aquæ origani vnc.ij.aluminis rochę drach.x.cinamomi drach.vj, bulliāt ad tertias, hoc liquore actu calido dentes ieiuno abluantur, bis vel ter in hebdomada. Dentes illæſos ſeruat radix herbæ pentadactyli quotidie commanducata, Myrepſius. Dentifricium. ℞.cryſtalli ſuper porphyrio tenuiſsimè triti drach.iiij.coralli rubei pariter puluerati drach.ij. ſcobis cornu ceruini albiſsimæ drach.ij. miſce. Aliud quo dentium candor efficitur, ac oris ſuauitas, gingiuæq́; reprimūtur.Recipit coralli albi cryſtalli ſatis toſti, iridis an̄ drach. ſem. iunci odorati anguloſi drach.v.ſpicę nardi drach.

j. cinamomi drach. vj. si vis odorum adijce ambari & moschi pauxillum.

Ipse noui edentulos qui emissitijs dentibus eburneis commodè vtebantur non modò ad locutionem, sed ad cibos etiam solidos conterendum atq; manducandum.

Ad gingiuas fluxione tentatas, anthera puluerata infricatur, aut acetum, in quo vitrioli, aluminis'ue, aut mastichæ pauxillum maceratum sit. Aliud panis vsti, origani añ. drach. sem. salis drach. j. leuigata accommodato gingiuis. Cruentas & defluxione tentatas sale vsto attingito, Aegin. Laxæ & putrescentes aceto illinuntur scillino, Mesuæ. Ad exesas. ℞. seminis rosarum drach. j. calami odorati veteris, aut indici drach. sem. fiat puluis, inspergito. Aliud, florum rosarum scrup. ij. calami odorati drach. j. sem. sidiorum scrup. j. aluminis scissi, cyperi añ. scrup. sem. trita insperge. Myrep.

Ad saliuam superabundantem. Semen coriandri leuigatum cum vino, intinge & obline linguam. Vel gallam tritam cum soleno, & aceto ad colluendam linguã adhibe, Myrepſ. Idem pollet puluis vitrioli ex vino, vel aqua calybata sub lingua affricatus.

tus. Imo ſemina coriandri præparata, ſaccharo intecta, ſaliuam ad os confluentem commanſa arcent.

Ad fœdum oris halitum. Ille curatur cauſarum ſublatione, quæ ſunt vitia in ore, aut ventriculo, aut ipſo thorace. Itaq; ora hominum qui nihil ediderint grauiùs olent, quod adnotauit Ariſtoteles in 13. Probl. 7. At iucundum ori præbent odorem maſtiche aut myrrha commanſa: cortex item citrij aut limonis, ſemen aniſi, agallochum vel malobathrum commanducata os reddunt bene olens, odoratumq;. Aliud ad oris ſuaueolentiam. ℞. galliæ moſcathæ, nucis moſchatæ, ſpicæ nardi, corticis citri xyloaloes añ. drach. j. moſchi ſcrup. ſ. cum mero fiant pilulæ inſtar ciceris, teneat duas vel tres mane & ſero ſub lingua, & quod inde diſſoluitur, deglutiatur. Aliud ſacchari albiſsimi candi añ. drach. ij. gummi, ſanguinis drach. añ. drach. ſem. margaritarum drach. ij. ſem. ambari drach. iij. vel ſcrup. iiij. nucis moſchatæ ſcrup. j. cum aqua roſacea fiat maſſa ex qua formentur globuli, ſiue hypoglottides. Inſuper oris tegit putorem globulus ex gallia moſchata intra molares dentes

tes

tes retentus. Ad idem confert vestimentorum flagrantia, indusiaq́; & chirothecæ suauem odorem spirantes. In hoc etiam pastillus confert, qui recipit ladani drach. sem. ambari drach. iij. chary. nucis moschatæ an̄. drach. ij. styracis calamithæ drach. j. cum aqua rosarū & muccagine gummi efficitur.

Ad tetros narium odores ex colluuie genitos retenta in meatibus qui ex anterioribus cerebri ventriculis ad nares perueniūt. Optimum remedium est errhynum ex vino, in quo nux moschata, macis, cinamomum charyophyli, calamus aromaticus, rosæ, & spica nardi decocta sunt. Vel in vino calido quo nares & os colluantur, gallia moschata resoluitur. Aliud. ℞. sampsuchi m. j. mellis albi drach. j. radicis dulcis drach. ij. bulliāt in aqua sufficienti, ex colatura fiat errhynum, qui ozenas, aut simitatem sequuntur molesti narium odores, incurabiles ferè sunt.

Grassoniæ sunt odores corporis tetri, quales inesse solent recutitis, & id genus, qui Christum non colunt, hominibus, si Campegio credimus. Ad eas Aetius præscribit potiones aliquot. Odor enim corrumpitur

pitur propter humoris & ſudoris putrefactionem, vt ait Auicenna 7.quarti. Putrefactio igitur vacuãda per aluum, vrinæ vias, aut per ſtubas & ſudores. Adhibendaq́; eſt alteratio, quæ putrefactionem arceat. Arcet autem imprimis fœtorem cõcoctio bona. Cardui radix illita, alarũ graueolentiam, totiusq́; corporis emendat. Item ſi decocta in vino bibatur, copioſam vrinã fœtidamq́; expellit, Dio.& Gal. Balnea lauachraq́; ex ſpicæ gallicæ, ſiue ex lauendulæ decocto, his ex vſu ſunt, qui fœdum corporis odorem habent, exitioſiq́; ſunt, ſi fœtida ſemper ſint exitioſa, vt ſentit Gal. 3.epid.com. ſecundo.

Tragus ſiue hircus à Marcello vocatur, quando ſub alis trux habitat caper, vt ludit Catullus, ab alijs putor ille, graſſos nominatur. Fit autem ſecundum Auicennam ex quibuſdam geniturę reliquijs, ſeptima quarti. Ideoq́; lepram præſagit, ſi vehemens eſt, vt in aphoriſmis ſuis ſentire videtur Razes. Nonnunquam tamen nimiam, intempeſtiuamq́; venerem ſequi ſolet, iuxta illud Martialis,

Inde tragus celeresq́; pili, mirãdaq́; matri Barba.

Apud

Apud Aristotelem & Plinium scriptum est, solam inter animalia pantheram odoratam esse. Nos tamen odoros subinde videmus cercopitecos, matresq́; sebelias, vt de alijs muribus taceam, deq́; hyenis, modò cati maiores, à quorum pudendis detrahitur sordes illa odorata, zebet Arabibus dicta, hyenæ sint, vt quibusdam placet. Adde quòd Alexandro Magno iucundus per cutim odor expirabat, vt odorata fragrantia indusium satiaret, quod attestatur Plutarch. primo symposiac.

Sed cur alæ omnium maximè partium nostri corporis male olent? An est, vt inquit Aristoteles, quia omnium minimè respirare possunt. Vnde humoris putredo contrahitur, etiam si partes illæ sint raræ, quod pilorum indicat multitudo. Non dissimili ratione fœtere pedes cõstat. Nam operimentis obsepti, obuallatiq́;, quod humoris in illis superfluit, euanescere non potest.

Igitur ad axillas tragaseas siue hircosas pastilli rosacei Dioscoridis illiti earũ emendant vitium. Aliud, ℞. aluminis liquidi vnc. ij. myrrhæ vnc. j. dissoluantur vino odoro, & alas subline, adde si vis, amomum & spicam.

cam. Aliud, argenti ſpumæ vnc.ij. foliorum myrti drach.ij. amomi drach.j. vino excipiuntur. Aliud, lithargyri vnc.ij. aluminis vnc.j. foliorum roſarum rubearũ vnc.ſem. myrrhæ drach.ij. ſantalorum omnium añ. drach.j. galliæ moſchatę drach.ſem. fiat puluis, quo tragus vino collutus inſpergatur.

Ad pedum putorem. Frequens pedum lotio ex vino, in quo roſæ, myrtus, roſmarinus, menta, lauendula, ſampſuçus, ſaluia, & meliſſa ſunt elixata, fœtores delet. Aromata pulueratà & inſperſa ad idem pollent. Humoris enim cruditatem corrigunt, & conſequenter putredinem abigunt. Idem præſtat argenti ſpuma ex aceto pedibus cum ſantalis & roſis infricata.

Ad bronchocelam & gongronã. Sciendum autẽ eſt, quod ſcyrrhoſæ, induratæ'ue, ſiue canceroſæ, & quæ ex vaſorum dilatatione fiunt, incurabiles ſunt. Reliquæ ſanabiles, chirurgia aut medicamentis cedunt.

Ad ſtrumas gutturis ſimplicia Dioſcoridis remedia ſunt, iris Illyrica, lapathum, andrachne, plantago, argenome, libanotis, aparine, millefolium, ſcordium, cotyledon prima, galiopſis, adiantum, pſeudobunion,

coriand

coriandrum, lithoſpermon, capparis,laſer-
picium, hordeum, lolium, ſabæ, lens, lupi-
num, piper, groſſi : & de animalibus, vipe-
ra, muſtela, vnguis Aſini, fimum.

De compoſitis aſſumẽdis eſt puluis Mon
tagnanæ, qui recipit ſpongiæ vſtæ, corti-
cum auellanæ, paleæ marinæ, chartæ com-
buſtæ, oſsis ſepiæ, ſeminis plantaginis añ.
drach.ſem.piperis,zinziberis,ſalis,gemmę,
pumicis, nucis moſchatæ, cinamomi añ.
drach.ij. veratri drach.j. loco eius ſubijce
polypodij boni drach.ſem.ſumat quotidie
drach.j.ex aqua ſaluiæ. Aliud eiuſdem mi-
nus operoſum.℞.ſpongiæ nouæ vſtæ in fur-
no, ſecundum artem, deinde pulueratæ li-
bra ſem.ſumat omni die drach.vnam ex vi-
no albo, duabus horis ante prandium. Vel
teneat ſub lingua ieiuno ſtomacho de glo-
bulis noſtris, qui recipiunt ,pumicis, oſsis
ſepiæ añ.drach.ſem.ſpongiæ vſtæ drach.vj.
ſacchari candi drach.j.ſem. cum aqua feni-
culi fiant pilulæ, aut orbiculi plani. Aliud.
℞. ſpongiæ marinæ, ſpongiæ rubri canis,
algæ ſeu paleæ marinæ añ.drach.ij. oſsis ſe-
piæ, macropiperis, zinziberis, cinamomi,
ſalis gemmæ, pyrethri añ.drach.ij. fiat pul-
uis.

uis. Qui in ore retentus,& quotidie ſæpius & paulatim ſumptus optimè digerit, ſiue reſoluit,vt aſſerit Clem. Aliud ſpongiæ vſtæ drach.vj. turbit drach.iij. zinziberis drach. j.ſem. ſumat quotidie, aut alternis diebus drach.vnam ex vino. Pluria ſcribuntur apud Arnal.

De applicandis remedijs. ℞.foliorum cupreſsi pulueratorum lib.j.cum vino tortiuo fiat veluti cataplaſma, quod bronchocelæ ſuperponatur, nec ante tertiũ diem ſoluatur. Rurſus ad tres dies renouatum applicatur. Et ſic ad alios dies repetes, donec ſtruma abolita fuerit, ex Aetio & Holl. Aliud Galeni, lithargyri drach.iij.reſinæ pini ſiccæ drach.ij.ſem. galbani puri drach.ij. æris vſti drach.x. ammoniaci, mannæ thuris añ.drach.ij.ſem.olei veteris quantũ ſufficit, fiat emplaſtrum, quod diſcutit brochocelem, huc refer emplaſtrum de calchanto.N. Alexand.vnguentum ad ſtrumas & gibbum Concoregij. Aqua Edificij, vel oleum ad gutturoſos Euonymi, quod accipit olei laurini librã ſem.olibani, maſtiches gũmi arabici terebinthinæ claræ añ.drach. iij.miſce in mortario & deſtilla in alembi-

co. Aquæ extractæ adde cedriam, vel cinerem: tum rursus destillato. Iste liquor sæpius die branchocelis inunctus, paulatim eas minuit.

Ad mammillas pendulas. Eas erigit cæratum ex putamine ouorum perdicis, cum cæra factum. Varig. Aliud Arnol. fit ex radice liliorum alborum cum rosaceo & cæra. Mammæ ne crescant, crebrò illinantur succo Acaciæ, Serap. Vel fiat fotus cum puluere libani & aceto, platea. Mammę virginum non crescunt cicutæ succo illitæ, aut luto cotis, Dioscor. Ad idem confert epithema ex succo seminis & foliorum lapathi, Mont. folia epimedij cum oleo trita & imposita arcent incrementum. Similiter & cicuta cum coma trita & imposita. Aliud. ℞. aluminis, cerusæ, plumbi vsti, lentis tostæ añ. drach. j. cum succo plantaginis fiat epithema. Idẽ præstat cruor porcelli litus, Gal. Aliud. ℞. lomenti fabarum librã sem. olei rosati drach. ij. succi cichoreæ & plantaginis añ. drach. j. putaminum ouorum perdicis drach. x. fiat cataplasma. lac arcet, mammas erigit, & non sinit eas increscere.

Venter ne rugosus fiat, Plinius docet 22. nat.

nat.hiſt.cap.21. Aqua ex albuminibus ouorum coctorum extillata & illita remediat. Idem pręſtat cycni adeps illitus, Vottonus. Confert etiam pinguedo recens & actu calida, nouem diebus illita. Vel contegere ventrem veruecis meſenterio, totidē diebus, Furnarius. Item ad rhagadas ventris in puerperijs adipe anſerculi calido venter illinatur. Ceratum ex ſucco radicum liliorum alborum cum melle albo & cera ad ignem factum imponitur, Arnald. Aliud eiuſdem. ℞. ſepi veruecis nouies in aqua frigida loti, vel potius in aqua liliorū, librā j. cum ſpuma albuminū ouorum, modicoq́; butyro piſtentur. Piſtis adde pulueris libani maſtiches vernicis añ. quantum videbitur, fiat linimentum, alline. Laudatur etiā oleum nucis indicæ illitum. Item quod efficitur linimentum ex adipe, qui à vulua balenæ extrahitur, in fictili liquato, cui ſcobs cornus ceruini adiungitur, Caderia. Pluria de his Aetius, lib. 16. Item cinis teſtudinis cū aquato oui, vel lacte aſinæ illitus confert ad rhagadas non modò ventris, ſed etiā vberum & fœmorum, vt prodit Razes.

Vt à partu fiat virginalis adſtrictio, bal-

nea prosunt aluminosa & adstringẽtia. Item pessuli ex succo seminis rumicis acidi virentis, vel ex gallis in aqua cœlesti madefactis, dein siccatis & lana exceptis, Aet. De recentioribus sunt qui consulunt pudendum muliebre integere linteo adipe ex vulua ceti imbuto, & superaddere emplastrũ, quod ex cera, puluere gallarum & conus cupressi componitur. Aspergo ex galla in aceto macerata, posteà siccata & puluerata super mulieris sinum ablutum confert: similiter & oxylapathum tritũ in vteri sinum impositum, Myrep.

Virginitatis indicia ducuntur ex narium epistomijs, si credimus Micha. Scoto. Io. Indagini. Itẽ ex ceruice, vt asserit Autor Ede. Suffitu lapidis gagatis, Plinius 36. natu. histo. & Lapidarius. Potu carabæ, Albertus. Suffitu lapathi, & mictione super viridem maluam, Vitalis. apud quem aqua præscribitur virginitatem probans. Si quis gagatis frustula cum aqua biberit, si carnis senserit maculas, extemplo emingit, neque cohibere vrinam potest. At si virgo biberit, non cogitur meiere, Monsterus.

Vxorum castitatem prodit Magnes, capiti

piti mulieris dormientis ſuppoſitus, Albertus cognomento Magnus. Vt mulier non ſecedat à viro, iecur hirundinis vſtum, bibendum clàm præbe ex vino, Myrepſ. Vel ante coitum penis glandem inſperge cinere à Raze præſcripto. Adulteros fœminæ ne diligant, Plinius docet 32. natur. hiſtor. c. 4. & Razes lib. de animalib. Stupratam mulierẽ prodit cor nycticoracis, apud Razem, & ellychnũ ammoniaco inunctum apud Myrep.

Ad leonis animam collutiones & lauacra conueniunt, ſuffitus item humidi, ſiccaq́; ſuffimenta ex liquoribus, aquis, atque pulueribus ſubterioribus cõcinnata. ℞. aſſæ dulcis ſiue odoriferæ pulueratæ vnc. j. ſem. cyperi pulucrati vnc. ſem. zebet, moſchi añ. drach. ſem. aqua roſarum odoriferæ libra ij. aquæ florum aurantij libram vnam, mixta in vaſe vitreo obturato, inſolentur duobus diebus, poſtea ad vſum prædictum aptiſſimum erit remedium. Aliud, ℞. aquæ roſaceæ libra j. charyophy. integrorum grana ſiue claui xx. moſchi, ambari, zebet añ. ſcrup. j. cõmiſta in phyala vitrea incaleſcant igni, deinde refrigerata ſeruentur ad vſum.

Aliud, ℞. assæ odoræ contritæ vnc.j. styracis calamitæ vnc.sem.charyophylorũ vnc.j. moschi zebet añ. scrup. vnum, xyloaloës vnc.j. camphoræ scrup.sem. aquæ rosarum optimæ librã iiij. reponantur in phyala vitrea operculata, buliantq; in duplici vase horis quatuor,& seruetur ad vsum. Aliud, ℞. pulueris charyophylorum xyloaloës styracis calamitæ añ.drach.j. zebet scrup.sem. aquæ rosarum moschatæ vnc.iiij. aut plus minus, reposita in vase apto super prunas, suauissima fiet euaporatio. Aliud, ℞. assæ odoræ vnc.j. styracis calamitæ vnc.sem.xyloaloës, ladani añ.vnc.j. foliorum rosarum rubearum drach.vj.baccarum iuniperi vnc. ij.fiat puluis crassus pro suffitu. Aliud ad indusia, & ad linteorum vestimentorum flagrantiam,quod recipit iridis florentiæ vnc. v.santali citrini vnc.x.xyloaloës,charyophylorum,assæ odoræ,cyperi coriandrorũ præparatorum añ. vnc. sem. foliorum rosarum rubearum vnc.iiij.styracis vnc.sem.seminis ozimi, corticis citri, añ. vnc. j. lauendulæ vnc.sem.sampsuchi vnc.ij. calami aromatici drach.iij. macis drach.j. moschi scrup.j. fiat puluis, quo sacculi serici pleni inter in-

dusia,

dusia, lintea, & vestes reponantur.

Manus dealbat, purissimasq; reddit lotio ex farina fabarũ, vel orizæ cum lacte mixta. Vel ex aqua stillatitia, quæ hunc in modum componitur. ℞. mollis panis albissimi librã sem. lactis libras ij. simul macerata extillantur. Aliud, Cader. ℞. amygdalarum depellatarum libram sem. poma assa iiij. saponis vnc. iij. cum aqua rosarum moschata fiant smegmata, seu coremata, à κορέω quod est extergo. Aliud, ℞. olei amygdalarum dulcium libram sem. charyophylorum integrorum vnc. j. mixta in vase vitreo, insolantur per octo dies, hoc enim liquore manus illitæ redduntur molliculæ, delicatiores, & lepidæ.

Veteres etiam ad manuum ablutionem vsi sunt apomagdalia, seu molle panis. Significare id ipsum videtur Athenæus. Vsi quoque sunt in manuum lotione smegmate, odoratisq; rebus.

Itaque obseruatum prioribus est, vt per singula fercula manus abluerent: significat id, in Heliogabalo Lampridius. Nunc verò tantùm per singula fercula Regibus mantile mutatur, vt seruetur manuum puritas,

quæ rationis & ſapientiæ (vt Anaxagoræ placet) miniſtræ ſunt. Quid enim non efficere manus valent? vt eſt prouerbio, τί δ᾽ ἦ τὰ χεῖρες οὐκ ἂν ἐργάσαιντο.

De vermiculis, qui manus infeſtant. In epidermide naſcuntur animalcula vel atomis vt ſic dicam, minora, quæ omnem viſum præter acutiſsimum effugiunt. Hæc tamen morſu pruritum ac puſtulas in cute excitant, vulgò Cirones vocantur. Sed Ariſtoteles v. de natura animal. cap. 32. In ligno inquit animal gignitur candidum, quod omnium animalium eſſe minimum exiſtimatur, nomine Acari. In iſtis ſanè apparet magna naturæ ſubtilitas, quæ nuſquam magis quàm in minimis eſt tota: in magnis ſiquidem corporibus, facilis officina ſequaci materia fuit, vt inquit Plinius 2. natura. hiſtor. cap. 2. In his verò tam paruis, atque tam nullis, quæ ratio? quanta vis? Tam inextricabilis perfectio? vbi tot ſenſus collocauit in culice.

Videntur id genus animalcula ex humorum ſanie naſci, præcipueq́; ex ichore pituitæ, melancholiciq́; humoris. Nam magna ex parte toto corpuſculo candida ſunt, niſi

nisi quod in quibusdam nigra eorum capitu
la visuntur. Dignoscunturq́; exiguis quas in
summa cuticula arant lineis. Sicq́; agnitis
acicula facilimè eruũtur. Abundant autem
in corporibus cacochymicis, in quibus icho
rum colluuies scatet. Quocirca molestia in-
de exorta curanda est, cacochymię accom-
modata purgatione, ichorumq́; consum-
ptione, quæ digerentibus & abstergenti-
bus efficitur. Quibus consilio firmandi par-
tes affectas, astringentia miscenda sunt, vt
in porrigine. Itaque vermiculi vt vermes
amaris necantur, proinde frequẽs manuum
collutio ex vino albo mero, vel ex vino di-
luto cum farina lupinorum eos interimit,
partesq́; roborat. Conferre etiã potest suf-
fitus ex hyoscyami capitulo pleno semine:
nam id valere aiunt N. Alex. & Torotula ad
palpebrarum pediculos.

Ad pruritum & psoram. Sciendum au-
tem est, quòd pruritus differt à scabie, quòd
in hac & plus sit succi, & succus ipse cras-
sior, & sæpe etiam lentior, tum etiam quod
hæret non in cute tantùm, sed in carne ipsa
existit, varijq́; generis pustulas excitans. In
pruritu verò ea non eueniunt: quoniam &

minor, & tenuior est ſuccus, & ſummam tantùm cutim occupat. Quæ Galeni est ſententia, ſimiliter & Auicennæ ſeptima quarti.

Curatio. In omnibus pruritibus venæ ſectione vtendum, Aetius lib. 13. Vitia innata circa cutem ſummam maximè phlebotomo ſedantur, Marcellus. Igitur ad humoris confluxum, ſiue ad cauſam antecedentem competit phlebotomia, ſi nihil prohibet, cuius vicariæ ſunt ſicyæ cum ſcarificatione, & hirudines. Atque adeò purgationes, quæ præſenti cacochymiæ ſint accommodatæ. Ad cauſam cõtinentem medicamenta conueniunt trahentia, extergentia, & non repellentia, vt ſulfur cum terebinthina. Item quæ mixtam habent potentiam digerendi, pariter & repercutiendi, vt luteum oui cum roſaceo & ſulfure. Vel orizæ tuſæ & cretæ, & cum aceto acerrimo leuigatæ vnc. iij. ſulfuris vini vnc. j. fiat linimentum. Aliud, terebinthinæ lotæ ex aqua roſarum vnc. j. ſem. butyri recentis vnc. j. ſulfuris ceruſæ añ. vnc. ſem. olei roſati vnc. j. albumina duorum ouorum fiat vnguentum cum pauxillo moſchi & ambari.

Vng

Vngues cuti ſuperponuntur, non tantùm decoris & ornatus gratia, vt putat Ariſtoteles 4. de par. animal. cap. 10. ſed magis ad actionem manuum & digitorum, primo de vſu par. Partim ad ornatum, partim etiã ad munimentum naſcuntur, à ligamentorum ad extremum digitorũ articulum pertinentium fibris, primo de anato. admi. Ex tendonum excremẽto in radices vnguium deſinentiũ generantur. Ideo continuè creſcunt, etiam mortuo homine. Augentur autem tunc pilorum modò in longum ſolum, primo de vſu part.

Ad vnguium decentẽ modum ſpectantibus eſſe iucundum affirmant Hippocrates & Galenus 6. epi. vt ſi neque exceſſerint ſummos digitos, nec defecerint: ſic etiam corpuſcula exigua facilè à digitorum extremitatibus compræhenderentur. Itaque vngues incolumes decoriq́; ſeruantur, ſi ſemel in hebdomoda Iouis die apta atque decens eorum inciſio fiat, quod affirmat Tacuinus Caroli magni quondam medicus: cui ſuffragantur Nicolus flor. & Arnaldus. Vnguiũ veſtigia, maculasq́; tollit palmularum caro ex roſaceo illita. Item citri, aurantij, aut limonis

monis caro infricata. Ad idem confert frequens manus impoſitio in aqua calida, in qua liquatum alumen ſit. Vnguium fiſſuras ſanat illitio ex aqua cynogloſſæ ſtillaticia. Ad cruentos farina pice mixta imponitur. Ad contuſos, myrti & mali punici folijs teneris eos illinito. Vnguibus quaſſatis medendis centaurei ſuccus medetur, ſuperligata faſcia. Vnguibus ex caſu reuulſis, & vitio quod paronychion Græcè dicitur affectis, ſachar tritum & in puluerem redactum ac inſperſum ſuccurrit. Scabros mundabis ſi ſulfur ignem non expertũ & oui luteum æqua portione miſcebis, atque ex aceto impoſueris.

Coſmetica ad faciei candorem. ℞. ſpumæ argenti libram ſem. tritam cerne, & in aceti albi libr. ij. decoque, ad tertiæ partis conſumptionem rude agitando, decoctam deſtillato, qua faciẽ & collum illine, Epiph. Alia eiuſdem ad faciei nitorem. ℞. radicum lilij, ari, dracunculi recentium añ. ſelibram, aquæ florum fabarum ſeſquilibram, aquæ roſaceæ drach. viij. deſtilla, adijce moſcharij cinamomi añ. drach. ij. faciem bis die abluito. Aqua ad eundẽ vſum elegans eiuſ-

dem.

dem. ℞. florum ſabarum, amygdalarum amararum, perſicij foliorum añ. drach. iij. lactis caprini quantum aliorum omnium, deſtillatis adde octo ouorum elixorum albumina, quæ miſceri agitariq; cum aqua deſtillata oportet. Mox iterum deſtillato, & camphoræ drach. ij. admiſceto. Aqua ad nitorem & albedinem faciei Euony. ℞. florũ roſarum albarum, nympheæ, florum ſambuci, liliorum ademptis crocis, florum ſabarum añ. librã j. aquæ fragorũ ſelibrã. Medullæ panis albi quantum videbitur, albumina ouorum cocta xij. thuris albi vnc. ij. in his omnibus infundatur ceruſa trita, deſtillentur omnia, hac abluatur facies mane & veſperi.

Alia optima. ℞. aquam de albuminibus ouorum recentium per ſpongiam factam, cum ęquali menſura ſucci limonum, mixtis adde florum liliorum & ſambuci añ. drach. iij. extillentur, faciei illita nitorem elegantem conciliat. Alia Euonymi vt facies & reliquæ corporis partes pulchram & iuuenilem ſpeciem retineant. ℞. aquæ vitæ drach. ij. aquæ roſaceæ & de floribus fabarum añ. drachm. iiij. aquæ florum nympheæ libram

ſem.

ſem.mixtis omnibus adijce tragachantę albiſſimæ drach. vnam, per ſex dies inſolatam colabis linteo puro, vſus eius eſt mane, ita vt non abſtergatur.

Alia faciei pulchritudinem concilians. ℞.folia roris marini, & tartarum album cum vino albo miſcebis. & aqua inde per Alembicum extracta vtere. Ad idem, flores fabarum in bono vino albo per vnum aut alterum diem inſolabis in lagęna vitrea, deinde lento igne deſtillabis, Furnerius. Ad idē & paratu facile. Limones ſciſſi in tres vel plures partes decoquantur in vino albo, quo facies & manus abluantur, ex Gordo. Vt vieta iuuenis appareat lotio faciei, efficitur ex aqua chelidoniæ & roris marini, Toled. Lotio ex aqua roriſmarini pulchrā reddit faciem, iuuentutemq; conſeruat. Hibres herba. Stuba ex vapore decocti foliorum & florum roris marini renouat iuuentutem facie ſuffita. Arnal. Aliud, vt facies clara, & iuuenilis fiat. ℞.oua gallinæ recentia ſine corticibus.xij.cinamomi drach. j.lactis aſinæ lib.j. Aqua inde per alembicum detracta, ablue faciem.

Vt loca ſub genis, & labia rubra fiant.

℞. al

℞.aluminis,braſilij, granorum ex quibus fit perſicum rubeum, terantur cum aqua vini. Aliud, raſuræ braſilij, granæ tinctorum, aluminis añ.drachm.j. fiat puluis, diluatur aqua vitæ,Furne. Aliud Bertucij.℞.braſsilij vel rubiæ quantum volueris, piſta buliant in aqua clara & dulci,donec aqua rubeſcat, tunc diſſoluatur in ipſa pauxillũ maſtichæ, aut libani albiſsimi, poſtea goſsipion ſiue cotonium aqua prædicta infectum & à ſole ſiccatum malis, labijs, & vnguibus infricatur. Aliud, Arnal. ℞.rubiæ, braſsilij,granæ tinctorum, ſiue cocci añ.drach.ſem. aluminis drach.ij. carmeni boni drachm.iij. fiat puluis, & cum aqua roſarum miſceatur & ad ſolem ſiccetur. In vaſe vitreo ſeruatus aqua roſarum diluitur, fricatuq́; ex xylo diluto iam dicto infecto, buccæ atque malæ rubeſcunt. Nonnullæ etiam mulieres vt inquit Braſauolus alumine ſciſsili ſibi fricant genas vt rubeſcant.Qui rubor ad tertium vſq; diem perdurat,adeò intenſus vt ignem in genis habere videantur.

Iam verò in his tandẽ quę nobiles partes iuuãt,& offendunt opuſculũ ad vmbilicum ducere,eiq́; colophonẽ addere ſtatuimus.

Caput

Caput lædunt vina vehementer euaporantia, item quæ auſtera & odorata, lac, butyrum caſeus, nucis iuglandis fructus & vmbra, palmulæ ſiue dactyli, mora rubi, & vnio, qui arbuti fructus eſt, oliuæ, allium, cepa, raſanus, naſturcium, eruca, eruum, fœnugræcum, lolium, ſaba, ſaſeoli, lentes, altercum, nymphea.

Capiti conſerunt gallinarum caro eſitata, amygdalæ, auellanæ, roſæ, roſmarinus, maiorana, hyſſopus, flores amygdalarum, cytoniorum, pomorum, pomorumq́; odor, ſpicanardi, ſtæchas, cinamomum, caſſia lignea, cubebæ, galanga, macis charyophyli, nux myriſtica, gallia moſchata, xyloaloes, ambarũ, myrobolani emblicæ, electarium regum, electarium prælatorum, diambra, Meſ.pliris arcoticon, Nicolai. theriaca, zucharum alkilil, oleum myrtinũ & roſaceum, ſena. & pilulæ ſtomachichę, Meſ. Pectinatio quotidie à ſomno matutino facta eburneo ex pectine, item ſuffitus rerum odorabilium grati, lotioq́; pedum frequens, capitisq́; lotio bis in menſe admiſſa caput ſanum ſeruat.

Senſus offendunt ebrietas, zizania, cepa, ſaba,

ſaba, papauer, ſolanum ſomniferum, altercum, mandragora opium & coriandrum, platanus, crocus, hedera, vitis alba, acetum, lutum creticum, argentum viuum, lapis galaritides, ſiue galagada, nam ſi clauſus in ore liqueſcat, mentem turbat, ſi creditur Lapidario. Et memphitis lapis tritus & ex aqua potus aufert ſenſum, vt retulit Albertus.

Senſus iuuant braſsica, lactuca, ſinapis, ſal gemma, agaricum, ſena, ſtæchas, elleborus niger, pilulæ elephanginæ & ſtomatichæ primæ, agregatiuæ noſtræ, lucis maiores & minores Meſ. ſtomachiæ Auic.

Oculis & viſui officiunt ſomnus immodicus & vigilia immoderata, dormitio quæ ſtatim à cibo fit caput replet vaporib. Dormire calceatis pedibus nociuum eſt. Ventus, puluis, fumus, fletus, fames & ieiunium, coitus & labor plurimus, frequens cephalicæ aut baſilicæ venæ inciſio, viſum intendere in res adeò lucidas aut nimis tenues, acetum, porrum, allium, cepa, braſsica, anethum ocymum lactuca, portulaca & reliqua ſoporifera, ſal, ſalſaq; omnia, piſces, legumina, lactariaq; vniuerſa, & raſanus. De lapidibus, pantherus fertur luſcos efficere

 viſus,

visus, Lapidarius. Cęlidonius niger, medoq; niger, Albertus.

Oculis prodesse solent, visumq; acuunt de cibis carnes turturis, perdicis & auium paruarum: vsus feniculi cocti vel crudi, naporum & raparum, hasce in cibis vsus, serpentum iusculum & caro, myrobolani kebulæ, emblicæ & luteæ conditæ. Nux moschata condita, zucharum alusar Auicennæ. confectio alkab, Mes. sotira Auice. arcet ab oculis nocumenta, & triphera sarracenica Nicol. triphera Sabor, Mes. hiera picra Constantini apud Nicolaum visum recuperat & retinet, sena, pilulæ ex sola aloe cum succo brassicæ formatæ, pilulæ Mes. in curatione sode frigidæ custodiunt oculorum sanitatem, pilulæ sine quibus. Nicol. visum conseruant, idem præstant in his Saliternorum senarijs,

Feniculus, verbena, rosa, chelidonia, ruta,
Ex his fit aqua quæ lumina reddit acuta.

℞. tripheræ minoris drach. iiij. pulueris cymarum euphragiæ vnc. j. misce. conseruat visus acumen, frequentationes pectinis eburnei super caput, vapores visum impedientes ad cutim reuellunt. Insuper diu

intueri

intueri ſuper ſpeculum terſum, viſum corroborat. Idem præſtat aſpectus rerum viridium, veluti ſmaragdi aut ſcarabei viridis. Iuuat etiam exerceri in legendis mediocribus literis, vt ex Ariſtotele prodit Meſueus. Colore glauco aut nigro recreatur oculus, quem ſplendor fatigauit, vnde vtile putatur in ſapphyrum aut agathem inſpicere.

De amuletis ſunt draguntеæ ſemen geſtatum, Kiranus. & pici auiculæ oculos erutos ferre, Platearius. Lapis ophthalmicus portanti viſum acuit, & circunſtantium hebetat, Lapidario teſte. Lapis buzedi viſus debilitati confert tactis oculis, ſi imbecillitas incidat propter ſolis conſpectum, Serapio.

Glaucos puerorum aut infantium oculos facit auellana combuſta cum oleo capitibus eorum illita, Galeno teſte, & Auicenna. Lutum hauem, Serap. Murem ſi comedat prægnans naſcentium oculi nigri efficiuntur, Plin. lib. 30.

Aures offendunt ambientis aëris cùm calor, tum frigus immodicum, ſoni vehementes, vt tonitrua, & tempeſtates ſonoræ, ſenſibilium enim excellentia ſenſum cor-

rumpit, veluti eſt apud Philoſtratum catadupæ Nili fragor, ex quo omnes accolę ſurdi aut ſurdaſtri redduntur. Nocent item auribus allium, Serap. corpora illapſa, foliorum platani lanugo aut puluis, Auicen.

Auribus conferunt, cerebri purgatio per aloëtica, per errhyna & apophlegmatiſmos. Item aurium marmora ſiue ſordes auriſcalpio ex xyloaloë facto detergere. Acetum tepidum auribus inſtillatum auditus inſtrumentum roborat. Idem præſtat ex abſynthij aut pulegij decocto euaporatio.

Olfactus offenſa contigit ex cerebri frigiditate, ſpirituum intemperie, ſenſorijq́; vitio, veluti ex coryza vel naſi obſtructione, aut ſimitate, quæ ex palato aliquando ortum habet. Iuxta illud Hippocratis 6. epi. ſi aliquod oſſium palati deciderit, neceſſario medium naſi ſubſidet. Inde σιμότης.

Naribus quæ ſunt cõmoda, olfactui quoque vtilia ſunt. Naſus enim eſt via olfactilium: ideoq́; inſeruit odoratui & reſpirationi. Adde quòd non ſolùm odoramur & reſpiramus, ſed etiam per nares cerebrum expurgatur. His beneſaciunt paſtillus ex nigella, aut ex ſemine ocymi, menta, & quæ ſunt odoris

odoris grati, præter roſam & violam, quarum iucundus odoratus coryzam gignit, teſte Auicenna. Quæ nares emundant errhyna ex floribus papaueris ſylueſtris, aut ſucco iridis, vel cucumeris ſylueſtris cum lacte ſalubria creduntur, veluti & ea quæ obſtructiones aperiunt. Huc pertinent odor mentæ, aniſi, ſeminis melanthij, ſeminis ocymi, & aceti vapor. Oleumq́; benedictum Nicolai naribus illitum. A naribus humorũ ichorumq́; fluxionem arcet ſulfuris in acetato infuſi ſuper prunas euaporatio.

Ori & palato nocent braſſica, cappares, melongia, facit enim in ore puſtulas vt ait Almanſor. Nuces iuglãdes in ore bothor faciunt & verrucas, Auic. raſanus palato officit, teſte Ruſo apud Serap.

Palato ac ori benefaciunt mora Celſi, eorumq́; ſuccus. Omphacium cum melle aut vino dulci eſt palato vtile. Mel, gallæ, acetum ſcillinum, aqua ærea, Auicen.

Dentibus nocua ſunt radix ſiue raſanus, porrum, braſsica, palmulæ, granata dulcia, lac.

Dentibus iuuamen præſtant collutio ex aſinino lacte, butyrum cum melle ad gingi-

uarum & oris vlcera, ſcilla & acetum ſcilli-
num, ſparagi radicis decoctum. Piper cum
aceto, collutio ex vino cum myrrha, maſti-
chæ in dentifricijs poſita.

Linguæ nocebitur eſu nucum iuglan-
dium: nam commanſę aut comeſtæ linguã
hæſitare faciunt. Item grauem tardamq́; lin
guam & ferè immobilem reddunt lithargy-
rum aut atramentum ſutorium illitum aut
conſperſum.

Iuuatur grauis & reſoluta lingua eſu cau-
lium: braſſica nanque eſitata muſculos arti-
culosq́; roborat, ob idq́; locutionem pueris
ambulationemq́; accelerat, fricatio ex mel-
le linguam expedit, ſimiliter & libanotus
cum origano commanſus, cubebæ & cha-
ryophyli in ore detenti, acorus, oleum cri-
ſomilorum, confectio anacardina Meſu.
confectio philoſophorum Auic. hieralogo-
dium Nicolai.

Gutturi incommodant de aſtringenti-
bus auſtera & acerba, veluti glandes, caſta-
neæ, ſorba & meſpilum: radicula, amylum,
muſtum, vinum aromatite, & reliqua ge-
neroſa. ſuccus iridis, hermodactylus, plata-
nus, vrtica.

Benefac

Benefaciunt ficus ſiccæ, ſeu caricæ, ſerica ſiue zizipha, radix dulcis, baccæ myrti. ſunt enim, vt Brielius notauit, ſemen myrti & cubebæ eiuſdem ſpeciei. Nec differre videntur niſi quod myrti baccæ ex ſatiua arbore, cubebæ verò ex ſylueſtri proueniunt.

Trachiæ arteriæ, pulmonibusq́; nocent, thoracemq́; lædunt porrum, lentes, caſtaneæ, fructus azetdrac, poma Auer. acor citri, allium, rubi canis fructus, puluis foliorum platani, puluis & fructus ſcotani, & anhelitus Aeuluri. Zoar.

Auxiliantur fabæ, faſcoli, cicera, ſed præcipuè alba. ſauic, fœnum græcum, ſuccus tritici, hyſſopus, ſpinachia, lactuca cum melle, thymus, origanum, papauer album, ſinapis, cucurbita, feniculus, crocus, cinamomum, punica dulcia, ficus, dactyli, ziziphia, paſſulæ ab arilis mundatæ, amygdalæ dulces, ſtrobili, radix dulcis, lac, butyrum, pulmo vulpis, rana, cancri fluuiatiles, teſtudo, cochleæ, vina craſſa ſimul & dulcia proſunt morbis thoracis, Gal. lib. de victu att. zuccarum alhuſar, Auicen. electarum regum & prælatorum, Meſue.

Cordi officiunt omnes tetri odores, &

de animi perturbationibus omnes immoderatæ, maximeq; mœror, anxietas, pauor. Lac nocet habentibus cordis tremorem, Auic. coriandrum, psyllium, de catharticis alscebrã colocynthis, genista, scamonium, mezereum, veratrum euphorbium.

Cor roborant, eiq; auxilio sunt, carnes perdicis, cochleæ, borrago, buglossa, scariola, endiuia, menta, melissa, oxalis, rosa, rosmarinus, ocymum, cydonia, mala punica acetosa, citrum, aurantia, limones, persica & pyra condita, poma acida, oxyachanta, conditum de pomis & syrupus, conditum de buglossa, Mes. syrupus liliorum Aliab. Confectio de hyacintho, Auic. diamargariton. N. margaritæ Ser. xyloaloës Idem. Limatura auri aut bracteæ, Aliab. emblicæ conditæ, Mesu. Vnguis aquilinus argento clausus & de collo suspensus vt carnem tangat, Ant. Lodo.

Gullam lædunt potus aquæ vehementer frigidæ, adstringentia, acerba, acida, austera, vomitus ex 7. therap.

Gullæ sanitas seruatur iusculis carnis gallinarũ & veruecis cum glycyrrhiza vel brassica elixatarum, medulla ossium, ouis sorbilibus,

bilibus, atque vini dulcis potione.

Ventriculo, eiusq; orificio nocentia ſunt caro anatis & anſeris, carnes auium rapacium, caudæ animalium, cerebrum, medulla, butyrum, faba, faſeoli, lens, malua, beta, atriplex, caules, porrum, mercurialis, ocymum, cucurbita, cucumer, ſuccus abſynthij aut coriandri potus, cappares, ficus recentes, pruna, ceraſa, dulcia, criſomila, mala immatura, melones, meſpilum, arbuti fructus, granata dulcia, caro citri, palmulæ, zizipha, auellana, nuces iuglandes, oliuæ maturæ, oleum, lac, caſeus, radicula, rapa, tubera, fungi, muſtum zuccarum violarum.

Ventriculo ſtomachoq; præſidio ſunt carnes perdicis & animalium vbera, echinus ſiue gallorum & gallinarum interior ventriculi membrana, cochleæ marinę, purpuræ terreſtres, oſtracorumq; caro ouorum lutea, milium, cichorea, ſeriola, portulaca, ſpinachia, lactuca, aſparagus, feniculus, oxalis, apium ſatiuum, menta, meliſſa, origanum, bulbus, cepa, ſinapis, cinara, amygdalæ virides, piſtachia, ceraſa acida, cydonia, oxyachanta, citri cortex & ſuccus, fragra, perſica, pyra cum ſaccharo cocta, poma

acida asseruata cruda aut cocta, statim à cibo sumpta, passulæ, glycyrrhisa, miua cytoniorum, ribes, myrobolani emblicæ, kebulæ nigræ; citrinæ conditæ, confectio de citoneis & persicis Mes. omphacium, acetum, vinum austerum stomacho dissoluto, ac ventriculo calida intemperie affecto robur adijcit, Gal. vinum oligophorũ ac modicè astringens epotum capitis dolorem sedat, qui incidit quum ex ventriculo praui humoris vapor sursum ad caput ascendit, idem. Vinum vel aqua in quibus ferrum candens extinctũ sit, ventriculi orisq; ipsius imbecillitati à calida ortæ dyscrasia admodum confert, Serap. Iuuat & cinamomum, galanga, charyophylus, piper, macis, nux moschata. zinziber, crocus, zuccarum, rosatum, zuccarum alkilil Mes. De appensis laudatur iaspis viridis à Gal. smaragdus & lapis iasis à Serap. coralli à Camillo.

Concoctioni imbecillæ plurimum commoditatis adferunt de purgantib. aloë, hiera picra Gal. pilulæ alefanginæ, diarhabarbarum Viatici. De roborantibus sunt piper charyophyli, cinamomum, nux moschata, crocus zinziber, cari. Conditum de citro,

& de buglossa, confectio de galanga & de cytonijs, Mes. electarium ducis Nicol. diahysopum & ciminata alexandrina, eiusdem diarrhodon, diacinamomum, diambra, aromaticum rosatum & nardinum Mes. diacalamentum & diatriapipereon Gal. Vinum substantia tenue, & colore fuluũ, album'ue, ad succi bonitatem atque concoctionem facit 4. de t. s.

Arcent cibi in ventriculo corruptionem granata teste Auerrhoe, adde acetum, omphacium, succus aurantij, limonis, citri & oxalidis, si in horum acorem cibũ intingas.

Iecori officiunt ficus, palmulæ, vuæ siccæ & passulæ, Isaac teste. zipule, idem. Omne lac nocet hepati ægrotanti Auicenn. ocymum Plin. Aloë colocynthis euphorbium, mezereon, serpentaria, serapinum Mes. assa esula, Auic. scamoneum & scebrã Almans. albuca, epithymus, lapis lazuli & armeneus Neoco. vinum dulce hepar obstruit, quoniam celeriter & copiose per meseraicas à iocinore attrahitur, sed attracti tenuissima pars in strictas hepatis venas penetrãs crassiorem post se relinquit, quæ obstructionis materia existit.

Contra

Contra hepatis infirmitatem prodesse solent vuæ passæ dulces aut acidæ, intubus, cichoreum, absynthium ponticum, eupatorium, pistacia, hepar lupi, caro limacum apparata, aqua ex limacibus extillata, anseris iecur comestum, aqua ordei pota; spodium rhabarbarum, cinamomum, trochisci de rhabarbaro & de rosis & eupatorio, diatriasantalum, diarrhodum, diacubebe, dialaca, diacucurma, confectio hepatica Serap. zuccarum alusar Auic. lapilli hirundinis dextro brachio appensi. Ignotus.

Lieni inimica sunt lagana rhyemata, placenta quę ex lacte & caseo conficitur, casei veteres, far cum lacte, lentes, lac omne spleni nocet ægrotanti, melongia, palmulæ, ficus, passulæ siue gigatris, brassica fungi, bubulæ ferinæq; carnes & excrementiciæ, malacia, loligines, sepiæ, polypi, thuni, pelamides, ostrea, buccina, purpuræ, cochleæ, oua cinere calido tosta. Vinum dulce & edulia in vasis æreis apparata lieni officiũt.

Spleni sunt adiumento capparum radicum cortices, scolopendrium, asplenium, mirice radix, tamarisci fructus & caudex, semen viticis, crocus, cinamomum, aqua ferrosa

roſa ſiue calybata. Vinum in quo aurum candens extinctum ſit. Plat. Lienoſis proficit potus datus in calice, è caudice tamariſci, Dioſcor. vel in vaſculo hederæ nigræ. Plin. Aut in lagenis fraxini, Valeſcus. Scobs tamen fraxini potu perniciem affert teſte, Dioſcor. Lienoſos infra triduũ liberant hederæ nigræ tres taleolæ in linteo ligatæ filo, in amuleti modo appenſæ. Ruell. Idem pollet ebulus geſtatus Apul. & lacerta viridis in olla appenſa ante cubilicũ in quo æger decumbit, Plin. Ad ſanitatem ſplenis tuendam iubent Empirici apud Neocomenſem mouere in aſcenſu & deſcenſu ſiniſtrum pedem ante dextrum. Item ad lienis dolorem conferre aiunt, dextrum pedem prius quàm ſiniſtrum calceare, & ſiniſtrum excalceare aut exuere prius dextro.

Ventrem atque inteſtina offendunt mala immatura, mala punica, ficus ſiccæ; cucurbita, lactuca, blitum, caſeus, ſemen aſſodilli, vitis alba, ſcamonium, ſena.

Ventrem inteſtinaq; roborant myrobolani bellirici rectoq; inteſtino vtiles ſunt, vt ait Auicenn. Emblicę Aliab. Kebulę Serap. Nux cæco inteſtino confert. Auicenn. nux

moſch

moſchata Aliab.dactyli Plin.paſſæ cum gigartis comeſſæ ieiuno ſtomacho, pyra & poma pontica fortificãt inteſtina Iſaac.mora immatura idem.Sorbæ Aliab.ſiſaminum colon conſortat inteſtinum, Auic.amygdala amara condita Plin.& aniſum, caſtaneæ item ieiunum roborant inteſtinum, Iſaac. cucumer eſt bonus ventri Serap. Apium, malua, lentes, Gal. portulaca Iſaac. electarium de zinzibere Auicen.maſtichæ Idem, gummi arab.Serap.Ramec Aliab.ruta Gal. rubri flos confert inteſtinorum imbecillitati, Serap.adianthum album, myrtus Meſ. Iſaac. ſyrupus de cytoneis & de malis, Serap.acetum ſcillinum vinũ picatum, Idem.

Ano nocua ſunt caricæ, ocymum fluuiale, aloë, anagallus qui habet florem rubeum prouocat ani egreſſum, vt loquitur Auicen.id eſt ani procidentiam. Aſſiduus gallinarum eſus ano nocet, Raſis. ſimiliter & colocynthis, Serap.

Ano proſunt malua, melilotum, myrtus, lentiſci lachryma, plantago, roſa, plumbum vſtum, ſuccus rubi, ſuccus granatorum coctus, butyrum cum roſaceo, vel adipe anſeris, nux græca exterius applicata, ordeum,

polen

polenta, oleum de ſemine lini, oleum de vitellis ouorum, ſeuum vituli, oua indurata calida appoſita, oui albumen cum ordeo tuſo & adipe porcino. Abluere anum multotiens cum aqua dulci tepida arcet hæmorrhoidas, Zoar.

Renes lædunt mala immatura, aqua turbida pota, vinum nouum, muſtum, alleum, eucha ex ordeo factum nocet renibus & veſicæ, Serap. Galbanum, Plin.

Renes adiuuant ſtrobili, Auicen. nuces nutritæ, paſſulæ, ficus humidæ & ſiccæ, ſed nocet renibus vlceratis Idem. caro turdorum eſitata, Plin. dactyli, ius galli, Idem. ouorum lutea, aqua ferrea & ænea Auicen. Lacti ouino ineſt proprietas ad debilitatem renum, vt non ſit ei compar, & præcipuè ſi miſceatur cum lacte bolus armena. Auic. farina ordei cum lacte renes impinguat, eorumq; ſanitatem conſeruat. Lac etiam potum renes in attrahendo ſerum debiles roborat, Arnald. diaſatyrium & quadrumeron Nicol. debilitati confert. zuccarum alhuſar renibus & veſicæ vtile exiſtit, Auicen. zona ex vituli marini pelle precincta renes confirmat, Kiranus.

Veſic

Veſicam offendunt aquæ frigidæ potio, ſi ieiuno ſtomacho ſumatur, Arnald. acetum Plin. omnis vua nocet veſicæ, Auicen. radix anuidem, Serap. cantarides, Plin.

Veſicæ auxiliatur aqua mellis, vias enim eius conſortat, vt loquitur Meſ. Strobili ad retinendam vrinam roborant eam, Auic. hiera picra Galeni eneruationem veſicę ſolidat, Aliab. triphera minor ſenonis, Meſ. ſtechas inſtrumenta vrinæ conſortat, Auic. confectio de ſcoria, eiuſdem. aromaticum nardinũ Meſ. aniſum, chamæmelum, malua, cucumer domeſticus, & oleum nucis indicæ, Serap. oleum de inula, de ſauina, de pulegio, de cinamomo, de ſpica nardi, laudantur. Item ſæpius thus comedere veſicam fortificat. Idem prętant vuæ paſſæ comeſtæ, Arnal.

Inguem ne intumeſcat ſatis eſt ſurculum myrti ſecum ferre, Ruel. vel bubonium ſiue inguinalem in manu tenere, Plin. Aſterat-ticus bubonium'ue bubonas ſanat inguini adalligatus vt creditum eſt, Galen. Ad idem confert ſpuma oris equi illita, Plin. patella cerui ſi quis ſecum habuerit, inguina non tumebunt, & ſi tumor adſit, recedet, Sextus

& Marc

Marcellus empirici. Verùm ſi per patellam rotulam genu intelligant, vano videntur ingenio. Siquidem in Ceruis nulla reperitur μύλη, ſiue ἐπιγονατίς.

Iuncturas neruosq; offendunt, cydonia frequenter ſumpta, Serap. & Zoar. ſuccus citri. Auic. acetũ, poma, & præcipuè acerba. Iſa. bulbus, Serap. ceruiſia, ſiue zythum, Almanſor. Lac nocet neruis & eorum morbis, Serap. Oxymel. Alm. vinũ copioſius ſumptum, Plin. Lactens porcellus, fluuiales aues, uetuſtæ gallinæ, piſces beluales & qui ſine ſquamis ſunt, legumina & rapæ, Arnal. Equitatio coxendici & gonagrę nocet, Hipp. deambulatio ſiue itio laborioſa, prolixa pedum ſuſpẽſio, ſupinus in ſomno decubitus, iracundia, ſunt omnia nociua, Arn. Huc refert hydrargyri fum⁹, Serapio.

Iuncturis ſiue articulis neruiſque egregiam fert opem moderata victus ratio. Inde illud poëtæ carmen.

Nec veneris nec tu vini capiaris amore:
Vno nanq; modo vina venusq; nocent.
Vt venus eneruat vires, ſic copia Bacchi,
Et tentat greſſus, debilitatq; pedes.
Cõpedibus venerem, uinclis conſtringe Lyæum:

Nec te muneribus lædat vterque suis.

Itaq; Ennium (de quo est apud Silium celebre Apollinis vaticinium illis versibus,

Hic canet illustri primus bella Itala versu
Attolletq; duces cœlo.)

articulari consumptum morbo, quem ex immodico vini vsu contraxerat, testatur Serenus his senariis.

Ennius ipse pater dum pocula siccat iniqua,
Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.

Ciconia comesta semel in anno, vere incipiente, ante quàm aduolet ab bellũ, innocuum & illæsum à morbis neruorum, & articulorum comedentem seruabit: non solùm ab arthritide, chiragra, genugra, sciatica: verùm ab omni etiam spasmo, seu conuulsione, si vera scripsit Kiranus. De remediis quoq; innocuis sunt myrobolani, terebinthina, pilulæ ex iua & terebinthina compositæ, hypericon cum sapa confecta, thermæ, & alia id genus sexcenta præsidia. De quibus fusè, Deo dante, in Anasceue morborum tractabimus.

D. Hieronymo Montuo Medico & Philosopho clariss. Equitiq; aurato, Claudius Valgelasius Medicinæ doctor, S. plurimam.

PRODERIT plurimum ille tuus prior de actiua Medicinæ scientia Commentarius, non modò Medicis, verùm etiam quibusuis aliis studiosis viris, qui sibi in posterum & sanitati suæ consulere, & prouidere uelint. Idcirco operęprecium fore ratus sum, si ex tanta rerum memorabilium copia, quam præfata continet lucubratio, Indicem colligerem: quò illa facilius introspicienti occurreret. Indici quoque aliquot subteriora, quæ per incuriam admissa sunt, erratula adiunxi. Tu quæ tua est humanitas, boni consules, & diutissime vale.

Ad virum punctis omnibus absolutum
D. Hier. Montuum.

Hippocratem medicum celebres mirantur Athenæ,
Atque suum Celsum splendida Roma probat:
Græcia ter summum veneratur tota Galenum:
Sic te percelebrem Gallia tota colit.
Lux siquidem es patriæ, splendor medicûm, & decus, & laus,
Ac totius nostri gloria prima sôli.

Syllabus earum rerum, quæ præcipua in hoc priori de actiua Medicinæ scientia commentario continentur.

arbor

B

 quom

bisa

famem

Q

urinam

Errata sic corrigito,

Pagina 18. linea 17. lege, est exhalatio igitur calidus & siccus. pa.37.li.3.lege lolio.pa.37.li.7. lege Alica.pa.68.li.15.lege 6.epi. pa.75.li.ultima,lege heterogenea.pag.88.li.5.lege unciam,ubi scribitur drachma.pa.127.li.19.lege præparatæ.pa.136.li.8.lege epi.pa.142.li.16.ubiq; pro drach.lege unciam. pa.182.li.6. lege ut explicat.pa.185.li.penultima.satis, lege salis.pa.228.l.15.librã lege unciã.pa.301.li.10.crocis,lege croceis.pa.302. li.23.drach. lege unciam.pa.319.li.13.nocent.Ad commotica unguium adde.Sed eos qui ungues impense perpoliunt, coma item non non neglecta, & annulis digitos onerant.probosus in nebulis Aristophanes sphragidonycargometas cõfragoso vocat verb.

Priuilegij Sententia.

Literis regijs cautum est Hieron. Montuo, Mirabelli Domino, Medicoq́ Regis ordinario, Nequis iniussu hoc opusculum De sanitate tuenda ante decem annos imprimat, ne'ue vspiam impressũ vendat. Qui cõtrà fecerit, pœnis ex sanctione multabitur. Datum Fonsbellaquei, Pridie Cal. Septemb. M. D. LVI.

15

185

r00